

## The Letters of the Venerable Father Thomas Choe Yang-eop

- Letter 1 2
- Letter 2 3
- Letter 3 4
- Letter 4 5
- Letter 5 6
- Letter 6 8
- Letter 7 10
- Letter 8 18
- Letter 9 27
- Letter 10 28
- Letter 11 30
- Letter 12 32
- Letter 13 35
- Letter 14 39
- Letter 15 41
- Letter 16 43
- Letter 17 47
- Letter 18 48
- Letter 19 52
- Letter 20 54
- Letter 21 55

## **Letter 1**

J.M.J

Place where written: Macao

Date when written: April 26, 1842

Recipient: Father Legrégeois

Quanta cum angustia de vestro itinere solliciter, satis explicatum erit, qua desolatione, quo anguore invicem valedixerimus, meminisse. Si aliquas horas, nullam saltem diem, quin de Patre cogitaverim, me trajecisse confiteri non vereor. Sed istas omnes amaritudines propter Deum patimur, ipse igitur sit solatium nostrum, spes nostra, imo voluntas nostra, in qua vivamus et moriamur. Duxerit amantissimum meum Patrem Deus per suum Angelum quam prosperrim, atque conservet in pace sua optima.

Salutem ac obsequium quam plurima et maxima S.S. Domino Patri nostro per vestram reverentiam offero. Quod autem nos attinet; caetera omittam. Derelictus ab omnibus, demum et meo Andrea unico socio, nunc solus in cellula resideo: sed utinam solus cum Solo.

Post vestrum discessum nullâ e Patria nostra notitia allatâ, profectus est Andreas cum Patre Maistre in navi gallicâ ad Coream. Sed navis haec apulsa ad Manillam nondum ad finem suum directa fuisse nuntiatur. Ego vero per aliam navim Favorite vocatam cum Domino de Jansingny ad patriam Missurus de die in diem eam expecto.

O quandonam concives mei tandem in sanctam Sion conversi Deum Creatorem et Redemptorem nostrum collaudent! Si non nos indigni, saltem Ecclesiae Suae dilectissimae preces ac supplicationes Jesum Christum Salvatorem nostrum reflectant ad nos miseros et miserabiles in recordationem ipsius sanguinis pro omnibus effusi.

Si quid mihi a Patre postulare licet, non aliud petam, quam ut recordetur semper mei filioli, quem in speciale curam suscepit in Sacramento Confirmationis. Spero deinde a Paternitate vestra aliquam verae crucis particulam, aut alias Sanctorum reliquias. Valeat Pater reverendissimus et amantissimus semper optime, cuius memoria in me quamdiu vixero nunquam morietur.

Patemitatem vestram humillimus ac obsequentissimus filius Thomas Janepy pronus salutat.

## Letter 2

Place where written: Bajiazi<sup>1</sup>

Date when written: May 19, 1844

Recipient: Father Legrégeois

Tres jam anni effluxere ex quibus desiderabili vestra consuetudine orbatus sum. Corpore quidem longe a Patre moror sed mente ac corde ab eo nunquam absum. Scripseram Patri litterulas qualescumque imperfectissimas, sed pro meo modulo ex toto affectu concinnatas, quas nescio si Pater acceperit. Non multo post vestrum a nobis discessum ad meam patriam missus, praeter spem in Leaotong advectus fui. Ibi nunc cum Ill. et RR. Episcopo Bellinensi, R.P. Maistre et fratre Ardrea, si forte aliquando ita Deo optimo concedente, concives meos, quorum necessitudinem contemplari nequeo quin in gemitus ac lacrymas erumpam, visitandi felicitas mihi eveniat, de die in diem sperans, commoror.

De nunciis Coreae sane tristibus sed sub quodam respectu jucundis admodum affatius et clarius Pater audivit ut credo per superiorum litteras, de iis igitur sileo: sed o me infelicem! Quoniam patres meos, fratres meos sequi non merui; quoniam tam specioso Christi militum certamini non adfui! O me proh pudor! Quoniam talibus concivibus, imo talibus parentibus adhuc in tanta infirmitate ac imperfectione langueo.

Exaudiat misericordiarum Pater sanguinem servorum suorum ut sanguis Abel clamantem, et propitius nobis factus suarum miserationum multititudinem et potentiam brachii sui ostendat. Quandonam tandem vos ad aliquid aptum effectus Patrum tot tantorumque laborum et fratribus meorum dolorum particeps aliquid in uis quae Christi passionum desunt, perficiam.

Si parvitas ac mea insufficientia non impediret, multa certe scriberem Superioribus, directoribus Congregationis nostrae totique societati, imo universis Fidelibus Confratribus nostris, quibus maximas gratias debemus et agimus: huic igitur meo desiderio, rogo Patrem, Utipse satisfaciens pro sua charitate et sapientia multa illis ex parte nostra exponere dignetur.

Obtestor denique Patrem meum amantissimum per viscera Jesu Christi, cui speciali vinculo conjunctus sum, Utmel filioli nunquam obliviaiscatur.

Postulaveram in praecedenti epistola aliquam particulam de ligno Sanctissimae Crucis Salvatoris nostri; quod spero Patrem, Si expedient certe mihi praestitum.

Paternitatem vestram pronus salutat obsequentissimus, indignissimus atque infirmissimus filius Thomas Tshoey Coreanus

---

<sup>1</sup> Bajiazi (Pakiatze in Latin text) : now known as Xiaobajiazi, Helong Town, Changchun City, Jilin Province. Bishop Verrolles built a church in this Catholic village early on and made it a base for missions to the north.

## Letter 3

J.M.J.

Place where written: Shenyang<sup>2</sup>

Date when written: 12 December 22, 1846<sup>3</sup>

Recipient: Father Legrégeois

Reverendissime et amantissime Pater,

Multo quidem jam tempore, magna spe desideraveram vestras litteras, eas tamen tardare nulia expetentia mirabar; non enim me dignum putavi, cui tanta sofficitudine ac benignitate se gereret vestra Paternitas, nec ignorabam maximis in occupationibus Patrem teneri.

Epistolam igitur vestram et sacras Reliquias summoperb laetus recepi die 21a decembris.

Usque adhuc maximo meo taedio ac vestro dolore extra nostram missionem divagor; et nunc sum in via ad confratres meos: faxit autem misericordiarum Pater ut tandem laetus meos Patres et fratres ampiecti mihi liceat!

Non minus certe mihi jucundum erit Patri nuntiare prosperum nostrum introitum, quam ipsi ilium audire gratum erit: et tunc hiliaris liberius atque effusius Patri scribam.

Ecce pedes quidem currentes saltitant, sed gravis deprimitur facies, onerata maximo pondere iniquitatis et omni pauperie, infirmitateque laborans; in divitiis tamen divinarum misericordiarum spem habens, me totum in optimi Patris providentiae committo, memor illius verbi D.N.J.C. “nolite cogitare quid loquamini… tunc enim dabitur vobis quid loquamini”; per loquelas autem non intelligo solum donum sermonis, sed omnia nobis necessaria. Itaque conscientia meae paupertatis et infirmitatis timeo quidem et formido multum, sed divina spe confirmatus non confundor.

Utinam concrescat in me fortissima illa Crucis virtus, nec aliud noscere discam, nisi Crucifixum! Hoc meum votum vestris orationibus confirmari ac perfici rogo.

Plurimas per vestram Bonitatem omnibus Seminarii Patribus et praesertim R.P. Baran salutes, et multas grates atque magna obsequia dico.

Patemitatem vestram pronus salutat, humillimus, infirmissimus atque obsequentissimus filius Thomas Tshoe

---

<sup>2</sup> Shenyang: the capital of Liaoning Province, China. The Manchu name was Mukden, and the old name was Fengtian. In 1846, it was under the pastoral jurisdiction of the Manchurian Diocese.

<sup>3</sup> This letter was written after Deacon Choe Yang-eop had returned to Bajiazi in early 1846, after completing a search for a route into Korea in the northeast with Father Maistre through Hunchun and Gyeongwon in Korea. He wrote this while he was on his way to the Fenghuang Fortress Gate 鳳凰城 to explore a return route in the northwest again.

## Letter 4

J.M.J.

Place where written: Hong Kong<sup>4</sup>

Date when written: 15 April 20, 1847

Recipient: Father Legrégeois

Reverendissime Pater

Elapso anno mense Decembri in Mougden pergens ad Coream recepi desideratas vestras litteras, nec non Sacras Reliquias: inde brevem Paternitati vestrae epistolam scripsi.

Maximo gaudio exultans ibam ad Pienmen sperans me tandem a longa captivitate liberatum apud meos confratres receptionem fore; sed illuc perveniens hac spe dejectus, nuntiis admodum luctuosis consternatus sum et meam totiusque patriae meae miserandam sortem inconsolabilius deplorare coepi.

Putaveram me amplius Patn non scripturum, nisi Coream ingressus laetum aliquid ipsi nuntiandum habuisse: coactus sum tamen adhuc unam Patri ex meo exilio doloris epistolam mittere, Utsaltem sic diviso cum Patre meo moerore levius ferrem.

Praesertim Patri triste erit nuntium de morte Patris Andreae amantissimi mei confratris. Summopere tamen consolatus sum legendo acta martyrum, quae Ilimus Ep. Ferreol gallice conscripta misit. Haec, cognito ipsius Episcopi desiderio et suggeste R. Patre Maistre, in latinum, licet non omnia intelligerem, latinitatisque vix tirocinium posuerim, tamen utrumque vertere praesumpsi, ut et Romam delata almae matri nostrae quae tanta sofficitudine ac dolore de tot tribulationibus nostris continuo afficitur, ahquid solatii praebeant.

Sed hunc meum codicillum in itinere sine dictionario scriptum, barbarismis, atque solecismis scatentem non ausus sum immediate Romam dirigere, maxime quidem propter nimiam meam exiguitatem: rogo igitur vestram Paternitatem ut si ipsi bene visum fuerit, emendatum eum ad illam inclytam Ecclesiam transmittat, eique pro me atque tota mea misella patria multas salutes, obsequia, ac precationes dicere dignetur.

Ultima autem narratio de 9 martyribus anni 1846 a R.P. Maistre translata est.

Nunc quidem longius peregrinans in Honkong reductus sum cum Patre Maistre, et ibi de die in diem naves gallicas expectans, per quas ut mandavit Ilimus Ep. Ferreol, in Coream nos appellere iterum tentaturi, si forte saltem hac vice Deo concedente feliciter ad nostram pauperrimam missionem pervenire valeamus. Omnis autem nostra spes in Dei misericordia, atque totum desiderium, ut sanctissima ipsius voluntas adimpleatur, in caeteris mori et consepeliri in vita Jesu Christi.

Hic finiens me infirmum, et meam infelicem patriam vestris, et omnium, ad quorum aures perveniemus, orationibus enixissime commendo.

Paternitati Vestrae per viscera Jesu Christi infirmus, inut., indig. filius Thomas Tshoey  
Miss.Coreanus diaconus

---

<sup>4</sup> Hong Kong: the Far Eastern Headquarters of the Paris Foreign Missions Society had been transferred to Hong Kong from Macau early in 1847.

## Letter 5

J.M.J.

Place where written: Shanghai

Date when written: September 20, 1847

Recipient: Father Legrégeois

Reverendissime et amantissime Pater Ex Hongkong ad Coream navigaturus parvam Patri miseram epistolam, et sperabam me iterum non scripturum nisi bona nuntia vobis annuntianda habuissem, sed adhuc ista vice hac spe privatus dolorem ac sollicitudinem vestram augere compellor.

Ex Ouang pou mense julii profecti prosperrime navigavimus usque ad primas Coreae insulas, sed ad ingressum in interiores mans sinus vehementer flante vento super arenas impactae naves per fluctuum vim mox dissolutae sunt, salvi tamen omnes ad unam insulam perfugimus; exinde sine morâ dux misit naviculas ad Xanghai ut naves europeas in sui auxilium advocarent.

Mensem integrum et amplius in illa insula sub tentoriis fuimus: interea missus quidam praefectus ab urbe regia et alii vicinorum locorum mandarini perhumanus ac liberalissimi erga nos fuerunt: cibaria superabundè nobis subministraverunt, cymbas, victus et onmia necessaria paraverunt ad nos in Sinas reducendos: ministri tamen nihil responderunt litteris D. Cecile: puto quod si dux La Pierre expressè de hoc illis scripsisset, certè respondissent; misit quidem D. La Pierre epistolam ad gubernatorem Provinciae Tsen la, in cuius districtu eramus, praecipue petens cibaria et naves, nihil vero positive loquens de litteris a regni ministris rescribendis: quod petiit dux ab eo ipso prestitit, licet non respondent illius epistolae.

Tanto tempore fuimus in littoribus Coreae, nullus tamen christianus apparuit: quotidie cursitabam quaerens, a quo de christianis aliquid scire cupiebam; maximum solatum capiebam videndo et audiendo meos concives, summeque gaudebam quando mihi dabatur occasio cum ipsis conversandi, ad vesperam autem prospiciens undquaque si qua cymba christiana adveniret, in expectatione ac oratione tabescebam.

Quadam autem die cum ad proxirnum pagum apud mandarinos ad aliquod negotium cum ipsis componendum inirem, et ad noctem rediens per illorum naviculam loquerer de religione cum iis qui erant in navicula, digitis super palmas scribendo litteras sinicas, (non enim loquebar Coreane, ne cognoscerer) unus ex illis compellans me dixit: novistine Jesum et Mariam? Certe quidem, respondeo illi, ego novi, numquid et tu novisti et colis eos? Quod affirmans interrupit sermonem propter circumstantes paganos; tum quaesitus occasionibus furtim attrahens ejus manum scripsi an ipsius tota familia esset christiana, ubinam christiani habitarent, an esset aliqua cymba christiana? Et respondit totam suam familiam christianam esse et habitare in Taikongso nuncupato ab insula Kokounsan in qua eramus, decem leucis distanti loco, atque postridie id est in vigilia nostrae profectionis, unam christianorum naviculam venturam esse.

Et cum pergerem quaerere alia, se retraxit, et noluit amplius respondere.

Inde cum majori spe et sollicitudine christianos expectare coepi, sed ad finem nemo venit. Per noctem ubique accensis lampadibus pervagilabant cymbae Coreanae, et per diem nullus permittebatur ad nos accedere.

Particulariter ab uno mandarino quæsivi an in Corea essent christiani et utrum rex adhuc eos persequeretur; et respondit regem severe eos punire, multosque occidisse, et adhuc occidere. Dux ad ministros cum una epistola misit unum exemplar edicti imperatoris Taokoang in favorem religionis christianaæ, et ipsi expectant alias naves pro futuro anno.

Volui remanere in insula Kokoun, et pluries petii a duce, dux tamen nullo modo consentire voluit: reliqui igitur cum multis lacrymis nostram missionem tantis votis desideratam, tantisque laboribus tandem semel apprehensam, et coactus sum in Xanghai regredi.

Nondum spem amisimus, nondum animum dejecimus, adhuc speramus in Dei misericordia, adhuc confidimus in ejus omnipotenti et optima providentia, et semper in aeternum sperabo et confidam in Domino, in cuius manus ad ipsius gloriam me totum commisi.

Vide Domine, vide afflictionem nostram et attende misericordiae tuae, averte faciem tuam ab iniquitatibus nostris et respice sacra viscera J.C. et B.M.V. et exaudi clamorem Sanctorum tuorum. Paternitatem vestram pronus salutat infirmissimus Thomas Tshoey Coreanus

## Letter 6

Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum. (Joann. c. 17.23)

Place where written: Shanghai,  
Date when written: May 12, 1849  
Recipient: Father Legrégeois

Reverendissime et amantissime mi in Christo Pater

Adhuc una vice scribo Patri ex meo exilio, nondum enim voti ac spei nostrae consors factus sum. Grave certe est Patti audire et mihi triste ei nuntiare semper haec infesta: sed quid possumus aliud quaerere quam quod Deo placitum est; cum itaque propositum nostrum non obtinemus, non ideo totum perditum existimo: non enim pro aliquo mortali ant pro nobis ipsis zelamus ac laboramus, sed pro Deo, qui corda intuetur, nec indiget aliqua ope nostra, qui nos praedestinavit per configurationem dilectissimi Filii sui Domini Jesu Christi Salvatoris et Capitis nostri in humilitate et multa patientia fructum afferre.

Adhuc modicum est quod sustinuimus ad nostram expectationem, adhuc brevis perseverantia nostra ad impetrationem divinae misericordiae.

Quot Sancti pro unius peccatoris conversione aut aliquo alio particulari beneficio per decem, viginti, triginta et quadraginta atque etiam amplius annos, quam ferventes orationes, quam magna sacrificia, quamque graves ac longas mortificationes et poenas Deo obtulerunt? O verb quando horum exempla contemplor, nescio quo spiritu animer.

Forte propter nimiam meam negligentiam in recurrendo ad superna auxilia et nimiam confidentiam in spe humana ac innumera mea peccata non exaudit Deus nostras preces et sum obex divinae misericordiae super nos!

Mitte me Domine mi optime Deus in profundum mans, si sum ego causa irae tuae, et propitiare miseris servis tuis. Agnosce figmentum tuum, ex se nihil est, ad nihil valet, nisi ad ignominiam nisi ut calcetur ab hominibus; in te est ex eo quod tibi placet fingere: tantum fiat tua sanctissima voluntas super me, in me, per me et a me.

Modo secundam teritavimus nostram navaniam expeditiōnē: toto anno praeterito nihil potuimus facere; venerat tamen meus consobrinus cum cymba in Kokunsan ubi feceramus naufragiūn, et tota aestate ibi nos expectaverat. Audierant enim D. La Pierre scripsisse ad Gubernium Coreanum et iteratis verbis et omni asseverantia declarasse eo anno alias naves illuc venturas; ideoque nihil nostri Patres et Christiani omiserant ad nos introducendum. O quot pericula et angustias debuerunt sufferre!

Si nos ex nostra parte fuissemus attentiores ac plus intelligentes, potuissemus certe et debuissemus hoc advertere: non ignorabamus enim et nos ita scripsisse D. La Pierre, et potuissemus satis faciliter praevidere quod nostri Patres juxta illam informationem omnia disponentes illa occasione nos introducere parati forent, et potuissemus aliquam navim hic in Chamhai conducere; sed quia prius non conveneramus, nihil horum cogitavimus. Sit autem nomen Domini benedictum.

Hoc vero anno ex conventione prius ab utrinque facta ivimus per unam navim macaensem ad insulas Pelintao ubi P. Andreas foster carissimae ac gloriose memoriae olim conmilito et nunc coram Patre nostro coelesti fidelis patronus, captus fuerat, non sine periculo et labore: habuimus emm tempus satis malum, ita ut ruptis catenis, amissa anchora, totius navigii perditionem timeret nauclerus; sed quantum fuit afflictum cor nostrum quando ad ilium portum tantis desideriis expectatum advenientes, eo intacto retrogredi coacti fuimus. Insulae illae notatae quidem erant in charta nautica cujusdam Angli, quam sequebatur foster capitanus, sed forte inexact. et fals : nam cum ad unam ex primis insulis quae primis nobis se obtulerunt,

et quae in illa charta describitur ac nominatur Kiaotao, descendissem et iffius incolas interrogassem de nomine ac situatione ejusdem insulae, oninib contrarium comperimus, forsitan et ipsi insulani decipiebant flos ut cititis se a nostra praesentia liberarent, sed ibi et in alia insula quae juxta illam chartam est Pelintao nullam naviculam nec Coreanam nec Sinensem invenimus; ut tamen refert P. Andreas ibi debebat magna Xantonensium piscatorum classis reperiri, et de hoc loco conveneramus.

Ecce hIC nos in extremam angustiam redacti: ignotus omnino locus atque periculosissimus, nec anchora potest jaci, nec aliquis conductor vocari, nulius enim Coreanus haec praebere se permittitur extraneis ad aliquod servitium; foster capitanus singulis momentis similem sortem sibi ac D. La Pierre imminere formidat.

Nullum restat consilium, nullum amplius auxilium humanum; toti recurrimus ad Deum, B.V. Mariam et caeteros Sanctos, totos nos ad divinum beneplacitum committimus: et ecce jam nos longe a nostra infelici terra: en nunc me iterum exulem in Chamhai. Fortasse iffi miselli Christiani qui in occursum nostrum veniebant, praedae facti sunt in manibus satellitum: forte tota nostra missio iterum crudeli persecutorum rabie dilaceratur. Et hoc valde timendum: sunt enim valde irritati contra christianos ex adventu navium Gallicarum, et hc usque timore Gallorum retenti non ausi erant suum furorem in christianos exercere: sed cm jam duobus annis nullam navim apud ipsos apparere, post tot verba ac promissiones, nec ullum nuntium ex parte Gubernii gallici ad eos defferri, et tanto tempore illas reiquias navium in aqua putrescere sini videant, forte dicunt: isti Galli nihil sunt: videbantur potentes, sed suis promissis non stant, verbis tantum terrent, sed facto nihil audent; non amplius venient, aut nihil etiam postea nobis facient: ecce nunc momentum, venite et exterminemus nomen christianorum: ipsum est quod illos ad nos attraxit, eo de medio nostri sublato non inquietabimur a Gallis.

Videat igitur natio Gallorum, natio christianissima, nostram angustiam et continuet quod cooperat, bonum opus: sin nobis ultimum exitium, certe contra intentionem, sed revera causa ipsorum.

Avertat misericors Dominus, in quo tota nostra spes, tantum malum a nobis et tantum opprobrium a gloria Gallorum Republic.

Hoc ipso anno Deo concedente adhuc semel tentabo aliam viam per terram; post aliquot dies proficiscar in Leaotong sicut disposuit Ill. Ferreol et proximo hieme ibo in Pienmen. O certe nisi sancta obedientia retentus fuisse, aut jam in nostra missione, aut in altero mundo ad meos Patres nunc essem: sed fiat non quod ego volo, sed quod Deus vult, quodque mei Superiores jubent.

Hic finiens adhuc semel promitto Patri proximam epistolam ex Corea: et per Vestram Benignitatem omnibus meis honoratissimis Patribus Directoribus Seminarii et nominatim nostro Procuratori Patri Barran plurimas et obsequentissimas ex totis praecordiis in Sacratissimo Latere Jesu Christi Capitis nostri salutes dico.

Hic memoror etiam Patribus amplissimam benignitatem Illustrissimi Praesulis Maresca et R.R. Patrum Jesuitarum, apud quos longissima hospitalitate utimur, ut quibus solus non sufficio suas dignas mei charissimi Patres pro mea paupertate grates repandant.

Fui ordinatus in Dominica in Albis ab eodem Episcopo: utinam me dignum semper exhibeam tantae dignitati; onus certe maximum est et insupportabile si propriam infirmitatem considero, sed ex Dei misericordissimi dignatione, dulce admodum et consolatissimum, ut qui impotentissimus ac pauperrimus sum, quotidie acceptissimum divinae Majestati Sacrificium atque totius mundi inaestimabile pretium offerendi potestate doner.

Pro nunc igitur quod mihi datum est, frequentiorem ac ferventiorem omnium Vestrum et meorum confratrum memoriam coram Deo recolere satagam: quod et Patres pro me atque pro tota misella nostra missione facere ac facturos confido. Patemitati Vestrae minimus servus Christi, indignus Vester filius et inutilis praesbyter Coreanus Thomas Tshoey

## Letter 7

J.M.J.

Place where written: Doanggol<sup>5</sup>

Date when written: October 1, 1850

Recipient: Father Legrégeois

Reverendissime mi Pater

Tandem advenit diù optatum tempus: tempus nempe quo ex mea misella patria charissimis Patribus de meis tantopere desideratis fratribus scribendi facultas sit.

Anno elapso ex Changhai Patri scripsoram et dicebam tunc ultimam illam me mittere epistolam ex Sinis, atque nuntiabam advenienti hieme me iterum ad Coream expeditionem tentaturum.

Illa ultima expeditio longa prae superioribus magis expers necessario munimine minorem spem praebere videbatur, licet mihi interitis majorem fiduciam inspiraret: quanto namque infirmiores in nobis sumus, eo fortiores in Deo sumus. Ex Changhai mense maio profectus in Leaotong iterum evectus fui. Ibi septem menses moratus jubente Patre Berneux Provicario, aegrotos visitare, diebus dominicis ac festis parvas conciuncuias facere, parvulos catechizare, soiemnioribusque festivitatibus confessiones audire, Sacramque Communionem impertire, meum feci munus: et mense decembri sicut mandaverat Illustrissimus Ferreol disposui me ad iter in Coream per Pienmen.

Pater Maistre etiam voluit mecum venire usque ad Pienmen licet non magna effulgeret spes, ut si quae esset opportunitas, non eam omitteret.

Huc perveniens inveni cursores ab Illustrissimo Ferreol missos, quibuscum omnimodo egi ut et Pater Maistre introduceretur mecum, at prudentia imperante coactus sum relinquere dolens desolatum Patrem Maistre in Sinis et solus pergere coeptum iter ad effringendam tandem durissimam illam portam Coreae. Nulla mihi apparebat possilitas impun eludendi telonium: tota mea spes ac fiducia in divinae miserationis omnipotentia posita erat: paratus ad vincula, fretus divino auxilio nocte aggressus sum telonium: custodes erant circa flumen Jalou, vigiles super muros et ad portas civitatis: erat nox obscurissima ac turbulentissima ventis compulsi, ac frigore rigentes sese fortasse in casis receperant custodes, transivimus per medium telonii, et nemo ad nos attendit, atque ita de periculo liberati pacificè ad Seoul usque pervenimus.

Ibi uno die remansi et continuavi viam ut venirem ad illustrissimum qui tunc morabatur in provincia Tschoungtscheng: et debui prius adire Patrem Daveluy graviter infirmantem et extremis Sacramentis ei administratis, ad Episcopum quoque febri laborantem perveni.

Uno die ejus colloquio fruitus, sine ulla requie incoepi missionem a provincia Tsenla, et sex mensibus quinque provincias Deo protegente in pace peragravi.

Tantum in duobus locis subii aliquod periculum: in uno loco, ubi erant solum tres christiana in domibus gentilibus sub parentibus ac viris gentilibus, has visitandi causa, cum meo catechista ac Sacra sarcina sub vesperis in quamdam pauperculam casam cùm divertisse, pagi homines ut me viderunt introeuntem, suspiciati sunt esse europaeum et nuntiaverunt principi villae, qui publicè enuntiavit ut ad noctem omnes seniores ad consistorium convenienter,

<sup>5</sup> Doanggol: (Toouang in the Latin) Now Geumji 1-ri, Naesan-myeon, Buyeo-gun, Chungcheongnam-do. Formerly known as Hongsan Doanggol. During the Byeongin Persecution of 1866, Luke Kim and others were arrested here and martyred in Gongju.

ad me ligandum atque occidendum. Eramus jam in manibus illorum, nec fugere poteramus, totus enim pagus nos custodiebat, et per fugam nos et domum in quam diverteramus, majori paganorum furori exponebamus.

Igitur ad Beatissimae Virginis tantum subsidium refugientes, totos nos divinae voluntati committentes in eodem loco tamquam nihil advertentes ad gentilium clamores, perstetimus et per totam noctem illos expectavimus, sed consilium eorum fuit discissum, et mane libere nos de pago exire permiserunt; sicque illas christianas invisitatas in desolatione reliquimus.

In altero loco ubi sunt fere ducenti christiani, tertio postquam incooperam ibi facere missionem die, notum fuit pagi primario gentili me hic esse, et divulgavit paganis adesse europaeum in suo pago, venitque in domum ubi tum audiebam confessiones, injurus, maledictis ac minis me lassans post meridiem usque ad medium noctem clamabat me esse pessimum europaeum gallum: tu es magnus latro, dictabat, tu venisti ex Gallia ut latrocineris in nobis: impostores europaei, perturbatores Galli! Quid vobis prodest sic nos perturbare, et fraudare! Videbis tu si poteris persistere, cras tu perstringeris cordis rubris et perduceris in vincula latronum etc. etc. Ita non cessavit clamitare donec ipse defessus abuit dormiturus.

Tum suadentibus catechistis de nocte surgens nec missa dicta licet in die praecedenti confessi parati ad Sacram Communionem ardenter missam expectarent, et evasi ex illo loco antequam lucesceret. Residui qui nondum receperunt Sacraenta, sequenti die me secuti sunt in aliam christianitatem quae distabat a suis domibus centum li per vias horrendas, caeteri qui non potuerunt egredi, in desolatione ac gemitu fuerunt relictii.

Cum in iis cursibus istorum pauperculorum miseras ac indigentias contemplor, atque meam impotentiam ad eos sublevandos intueor, non valeo me ipsum supportare: sunt omnis generis miseriis oppressi, sub durissimo gubernio subjugati; in inextricabilibus angustiis immersi digitos suos liberè movere non permittuntur: persecuciones a civibus, persecuciones a parentibus, persecuciones a conjugibus, persecuciones a cognatis, a vicinis, felices si abruptis omnibus in montanis cavernis sub miserabilibus tuguriis duobus aut tribus annis pacificè permanere sinantur. En quales aliquando angustiae.

Fuit quaedam ex familia nobili: cum esset quindecim annorum, audita doctrina christiana, desiderio ejus colenda acta effugit de domo paterna, in qua non poterat religionem practicare, et dum veniret ad christianos inveniendos, fuit in via capta a quodam viro gentili et abducta in uxorem, et sic fuit in domo raptoris per duodecim annos quin ulium nuntium suis parentibus aut alicui christiano dare vabuerit.

Semper meditata fuit ut iterum fugam iniret, sed ignorabat quo fugeret, periculumque erat ne in secundi raptoris manus incideret.

Fortuito quidam christianus audivit de illa narrantem quemdam paganum amicum, et fingens se esse ipsius cognatum, ivit eam visendarn, atque multis consolatus libros aliquos subministravit ut doctrinam christianam et preces ediscat, sed non est medium ut ad sacramenta accedat.

Vidi aliam Annam nornine, quae pariter origine nobilis in domo omnino gentili per novemdecim annos non potuit communicare cum christianis, itaque omnino caruit Sacramentis: hoc anno potuit mittere nuntium cuidam christiano cognato suo: iste christianus potuit eam audire et loqui cum ea, atque cum essem in oratorio quod distat a domo Annae quinquaginta ii, venit ad me, et narravit cum quanto desiderio me expectaret Anna, quamque fervens et miseranda in domo omnino pagana, in pago totaliter gentili per tot annos nihil omisit de christiana pietatis officiis: singulis momentis aspirat ad Sacraenta suscipienda, incessanterque precatur Deum ut sibi suum visitatorem mittat; saepe in sua desolatione accipit parum fragmenti de tela europaea, et in ejus conternplatione de Europa atque de Patribus cogitans seipsam consolatur quod cum merces ab Europa erectae sint, brevi etiam missionarios

ex Europa venientes visura esset.

Haec audiens non potui me continere, et quamvis nulla possilitas mihi appareret ipsam adeundi eique sacramenta administrandi, totus fretus divina misericordia et confidens pietati Annae quod optimus Deus et Beata Virgo propitiati tantis suspiriis Annae, medium praebaret Sacrae Poenitentiae ac Communionis Sacraenta suae fideli famulae administrandi; profectus sum cum Sacratissimo Sacramento, unico nostro solatio, et properavi ad vicum Annae cum jibo christiano. Totus pagus gentilis erat, totaque domus pagana, nullum erat receptorium ubi ponerem tribunal Sacrum, tentoriumque figerem ad exponendum Sanctissimum Sacramentum. Sedi sub arboribus circa fluvium tamquam de via ac solis ardore fessus vires reficerem, et praemisi ilium christianum comitem meum ut videret si erat possilitas nobis conveniendi in unum locum: qui intrans invenit domum vacuam a viris qui in agros exierant, et solam Annam cum sua filia et parvulis, et detulit ad me examen conscientiae scriptum, quod postquam legi in loco ubi sederam statim intravi ad domum Annae, quam evocatam in receptorium cubiculum exterius, et velociter absolvi atque Sacra Communione refeci. Subinde regressus li tus ac summas Deo gratias agens discessi.

Ita in Sanctae nostrae religionis exercitio nulla est libertas: ubique angustiae, ubique certamina, semper timores tamquam si iniquissima operemur gratis odio habemur, veluti latrones contenimur.

Statim ut quis ad fidem convertitur, tota familia ac cognatio atque vicinitas surgit contra ilium, et tamquam impiissimum execrantur, et omnibus moths vexant, demum ab se expellunt, ita ut pedem apud ipsos ponere non permittant.

Maxime qui sunt ex radice nobili cum majori furore persequuntur suos ad fidem conversos: si enim publice notum fiat aliquem ex sua familia esse christianum, tota ipsius cognatio infamia notatur, atque aniit nobilitatem in qua totam gloriam ac spem ponunt.

Et ecce scandalum magnum pro multis fidelibus: occurrentibus enim occasionibus malunt in vanis suis praetentionibus oblectari quam in Cruce ac opprobriis Christi gloriari.

Praesertim si ad aliquem gradum evehantur, durior est scandali petra.

Fuit quidam neophytus ab amicis sine ipsius motu intervenientibus ad gradum quintum usque promotus (fit autem saepe quod pure per cognatos ac amicos sine propriis meritis dignitates obtineantur, quae quoquo modo conferantur, semper debent acceptari alioquin omnimoda infamiae ac mortis periculum subeundum est) maximo in discrimine est fidei amittendae: brevi enim praeficietur alicui provinciae aut alicui magnae civitati et si acceptaverit illam praefecturam, non potent eam exercere sine frequentibus caeremoniis superstitionis, si autem non acceptaverit, rebellis declarabitur, unde sibi mors, et extrema calamitas toti ipsius familiae imniinet.

Feminae autem nobiles adhuc plus miserendae pedem extra januam ponere non permittuntur, neminem nisi proximos cognatos suos videre fas est: sernel si alicui ignoto viro conspiciendas dare maximum crimen est; si viduae factae fuerint, etiam si post unum diem matrimonii orbatae fuerint, sive valeant, sive non, necessario se continere tenentur: quod si secundas nuptias tentarint, infames ipsae totam familiam infamant. Unde istae semper noctu veniunt ad Sacraenta suscipienda: at quantae miseriae in talibus expeditionibus!

Quadam vice veniebant duae mulieres in locum ubi fiebat missio: non optime noverant viam, nox erat obscurissima: pauxillum procedentes amiserunt suam viam, et tota nocte aberraverunt per invia ac devia: ita in tenebris circumerrantibus supervenit uberrimus imber. Unde totae madefactae frigescere coeperunt, defatigataeque non amplis valuerunt progredi: tum sedentes ambae (erant autem socrus et nurus) mutuis amplexibus sese parum calefecerunt, et aurora effulgente in viam rectam regressae pervenerunt ad locum qui tantum una leuca distabat a sua domo.

Felices quae saltem cum talibus laboribus Sacrarnenta suscipere possunt: sed sunt pleraeque quae sub parentibus ac viris paganis nullo medio ad Sacrarnenta accedere possunt,

et semper in suis desideriis tabescunt. O quandonam istas famelicas animas ad satietatem saturabirnus!

Semel tantum videre faciem Sacerdotis magna gratia est; saepius duorum vel trium dierum itinera parvi ducunt pro tali beneficio: semper cum rnatno rigore procedere cogimur ad arcendos fideles ne, ut Patrum conspectu ac Missae Sacrificia assistentia fruantur, ad nos convolent; attamen poenas quas transgressoribus imponimus non metuentes, parum in hoc sunt oboedientes. Quando pervenimus in aliquam christianitatem, omnes a maximo usque ad minirnum novis, quas habent vestibus induiti congregati praestolantur ut salutent Patrem, et si in aliqua rnorae fuerit Pater ad recipiendum eorum salutationes, irnpatientes sunt et catechistas indesinenter intrornittunt ut tandem permittantur accedere ad benedictionem sacerdotis.

Quando autem proficiscimur, jam cum induimur habitu itineris, implet oratoria fletu ac ploratu aliqui tenentes meas rnanicas, quasi retinere volentes, aliqui fimbriis vestium mearum abstergentes suas lacrynas quasi perpetuum sui affectus sigillum imprimentes, et prosequentes nolunt regredi nisi me properantem non amplis possunt prospicere, aliquando ad colles accurrrunt ut me abeuntem longius intendant.

Quadam vice ex uno oratorio ad aliud profecturus eram, et christiani qui habitabant circa viam per quam transiturus eram, enixè me rogaverunt ut paulisper apud ipsos diverterem, precibus eorum flexus promisi illorum desiderio me satisfacturum.

Quando illuc perveni, omnes circumcirca habitantes ibi congregatos inveni laetabundos: inter eos quidam venerat a quindecim li: statim ut audivit me per illa loca transitum, reliquit suam domum omnino vacuam, et cum sua uxore ac filio fere decem annorum profectus per montes impervios properavit ad transitum meum.

O si alter Xaverius aut Bernardus inveniretur, cum quanta pressione praestolarentur isti pauperculi!

Adhuc una res quae maximo dolore me afficit. Sunt multae personae quae ardenteri fervore donatae, purius ac intentius Deo servire cupientes, proponunt virgines permanere. At tale est gubernium, talesque mores ut nulla sit defensio nullumque tutamen pro hac virtute angelica; virginitatem tamquam impietatem gens Coreana proscriptit: castitatem tamquam meram imposturam omnes spernunt; christianos velut factionem rebelliam contra quam cuique fas est ad libitum procedere, perseguuntur etiam vilissimi civium.

Unde manifestum est periculum talibus personis, sic si suos maritos non habent, a paganis rapiantur cum magno salutis discrimine: ita fit ut virginitatis praedicatores vice versa matrimonii consultores ac paeceptores existamus. En unum factum quod bene exponit quod dico. Fuit quaedam filia nomine Barbara. Habebat octo fratres et ipsa erat ultima, at omnibus mortuis remanserat sola cum duobus fratribus. Septennis didicit legere, et ex eo tempore statuit servare virginitatem: quadam die sua pulchra soror conficiens aliquam vestem dixit illi: vestem hanc paeeparo tibi ut ea utaris die nuptiarum. Quo auditio Barbara petiit secretiorem locum, et amare flens noluit consolari nisi postquam ipsius mater promisisset eam nunquam nuptui tradendam esse.

Cum autem ad undecimum annum pervenisset, reliquit scriptum in pariete et assumptis duobus libris atque aliquot granis oryzae cum una socia suae aetatis abuit nocte occulto ad montana. Mane autem facto parentes filiam suam non invenientes legerunt in pariete longum sermonem scriptum manu Barbarae: mi charissimi genitores, inquiebat in illo folio: nolite me considerare ut vestram prolem, sed habete me tamquam filiam Beatissimae Virginis: brevis est vita hujus saeculi, vanitas vanitatum et omnia vanitas: nihil possumus a nobis, omnia autem per Deum possumus; in se confidentem Deus non dereinquet in aeternum. Nolite inquirere quo abierim, quidve facturus sim, et scrutantes omnia loca tertio die invenerunt Barbaram in una spelunca: locus erat pene inaccessibilis, solis feris relictus: Barbara decennis infans in illo antro pacifice legebat suos libros, precabatur, edocebat suam sociam, cohortabatur

ut firmo esset animo; identidem exibat ad eruendas quasdam radices ad victimum. Ita tota voluptate jucundabatur in illo eremo.

Tantae pacis perturbatore suo fratre accidente perterrita est magis quam si tigris vidisset: omnia fecit ut relinqueretur in suo desiderato paradi: hortata est, precata est, minata est, totas corpusculi vires adhibuit ut abripiem repelleret. Tandem victa fuit, victa viribus, non animo, et deducta in domum paternam. Quid est hoc, clamat mater: quomodo ita infatuaris? manifeste illuderis a diabolo: unde tu infantula nec tigrides timeas, nec famem patiaris? Ne turberis mater, respondit Barbara: confidentem in se Dominus non derelinquet.

Post hoc tempus regulariter bis quaque hebdomada jejunabat a carne, piscibus et similibus omnino abstinuit: in quadragesima quotidie unicum tantum refectionem sumebat. A spiritu orationis nunquam cessabat; sive domestica obibat officia, sive in agris laborabat, semper in oratione erat: memoriter tenebat totum manuale christianorum, quod in Corea non est breve, catechismum, compendium doctrinae christiana, vitas S. Barbarae, SS. Petri et Pauli et plurimas vitas martyrum Coreanorum, et alia a Coreanis eleganter et pie in lingua vulgari scripta.

Nunquam aliquis eam iratam aut impatientem vidit aut audivit: nunquam ex ore ejus exciderunt hae interjectiones: o qualis calor, o quantum frigus, quam vehemens ventus, quam importuna pluvia! et alia similia.

Nunquam fuit necessarium parentibus ejus jubere, hortari aut indicitare ad illam impellendam ad religiosa aut temporalia opera, ipsa semper praeibat, et quidem tam bene omnia operabatur ut omnibus satisficeret. Ipsius mater semper erat ad cohibendum Barbaram a nimio fervore ac corporis labore: at ipsa dicebat: breve est tempus; dum igitur tempus est oportet operari: brevi hoc corpus vermium erit nutrimentum; Ut quid igitur parcere illi; dum vivit, oportet illud exercere ad satietatem.

In infirmitatibus nihil unquam mutabat de suis pietatis ac mortificationis exercitiis; dum laboraret febri tertiana, nunquam lectum iniit; quando mater ejus reprehendebat de nimio rigore contra suum corpus, respondebat: nihil possumus ex nobis, sed in Deo confisi omnia valemus.

Ita se virgo mortificabat atque in duris laboribus suum corpus exercitabat ut alii non intelligerent quomodo vivere posset, at ipsa prae caeteris corpulentior atque venustior erat vultu.

Ad decimum quartum annum primum fuit admissa ad Sacrum tribunal poenitentiae, prius enim non habuerat copiam confessarii, et declaravit confessario suum propositum servanda virginitatis qui dissuasit ei tale consilium, proponens ipsi pericula talis status, et jussit ut mutato proposito sponsalia iniret. In sequenti anno iterum ad eundem confessarium admissa in eadem se voluntate persistere monuit Patrem, qui postquam exposuit rationes quibus necessarium erat ut mutaret sententiam, dedit ei optionem ut si vellet ad Sacraenta accedere, mutaret voluntatem, sin abstineret a Sacramentis.

Barbara non satis fideliter observans conditionem Patris, primum recepit Sacraenta, at postquam attentius considerans optionem a confessario datam intelligens se deceptam esse inconsolabiliter deflevit.

Decimum sextum annum nata a quodam pagano fuit expetita in matrimonium. Iste gentilis post oninia legalia media, omnino per vim Barbaram rapere aggressus est. Parentes ac fratres virginis omnibus injuriis ac tormentis fuerunt indigniter affecti: in hac summa angustia omnibus modis exagitaverunt propositum virginis quod manifesta esset divina voluntas ut nuberet, et sollicitati sunt ut daret consensum ineundi nuptias cum vicino juveni christiano: at frustra: Barbara semper inconcussa objurgavit patrem ac fratres quod tanta essent pusillanimitate, quomodo, inquietabat: vos mei fratres non potestis aut non vultis defendere meum corpus ab istorum paganorum insultu: relinquete me solam, ego vadam quo libuerit et Deus erit mecum; et irruentibus paganis raptoribus virgo fugit ad montes et se abscondit inter segetes. Raptore virginem non invententes, furore in patrem ac fratres exercito abierunt. Tunc

injuriis ac verberibus onustus frater venit quaesitum sororem: tota nocte clamitavit vocans Barbaram, quae etsi agnosceret vocem sui fratris, noluit respondere non satis fidens quod non esset proditor.

Iterum mane venit frater vocans Barbaram, quae e suo recessu egrediens consolata est fratrem prae gaudio flentem: timuerat enim ne virgo a tigride vorata fuisset. Erat autem Barbara totaliter maledicta ex rore, et ducta est ad matrem quae tota in dolore erat immersa; at Barbara tota jucunda, bonum est, dicebat, mea mater, ut quid affligeris: Deo optimo protegente omnia bene se habent. Adhuc semel in montano refugio salutem quaesivit; dein relictis omnibus cum parentibus et fratribus emigravit in aliam regionem.

Post haec certamina Barbarae quotidie fuere acriora, sed constantia semper firmior. Ter fuit a Sacramentis expulsa, quarta quoque vice fuit expulsa. Episcopus multoties illam vocavit: suasit, hortatus est, terruit, demum interdixit etiam parentes virginis. Post haec omnia nihilominus stetit immobilis: sed quotidie ferventior, quotidie compunctior: identidem in amaros fletus erumpebat, abunde plorans suam miseram sortem, quotidie augebat mortificationis exercitia; singulis vesperis relinquebat domum et abibat circa torrentem in recessum locum, quin tineret tigrides et in profunda nocte sola ibi orabat. Eram transiturus iliac postquam visitaveram unam partem christianorum, at usquedum denub inciperem missionem, aliquantis per quieturus in domo mei catechistae Leonis, quae distat a dorno Barbarae uno ferè millario.

Barbara statim ut audivit meum adventum, iactabunda accurrit ad me visendum, et rernansi in domo Leonis mihi ministratura. Postquam me vidit nihil aliud cogitabat nisi de medio Sacraenta suscipiendi.

Hoc autem erat impossibile moraliter loquendo: eram enim extraneus missionarius in hoc loco, non habebam igitur jurisdictionem super eam, insuper ipsa erat interdicta ab Episcopo.

Tota nocte non dormivit: ostendens suis amicis examen suaे conscientiae scriptum; quomodo, inquietabat, remittentur ista peccata! Utinam, dicebat alteri amicae aegrotanti: sicut tu infirmarem, forsitan Pater mihi concederet Sacraenta! Atque ita postquam iliam noctem in oratione ac gemitibus transegisset; mane subito aegrotare coepit, et quae pridie super cacumina montis cursitans laborabat, hodie jacuit ejulans ac doloris vim sufferre non valens. Coactus fui eo die ejus confessionem auclire et sequenti die Sacram Communionem impertivi. Dum aegrotabat, nunquam cessavit invocare Jesum Christum et Beatam Virginem. Aliis videbatur illico moritura et hortati sunt ut reciperet Extremam Unctionem, at illa dixit non esse properandum et voluit deportari in domum suam.

Post unum diem misi meum catechistam ut videret et hortaretur ad ultima Sacraenta recipienda. Iterum ipsa distulit.

Ad noctem vero rogavit suos ut me vocarent. Proponentibus autem illis quod non esset momentum vocandi Patrem, quod non urgeret, adhuc non esset moritura; sed posset usque ad diem vivere. Barbara, utique scio, inquit, quod Patri sit valde molestum, ut nunc sub tantis tenebris per viam tam asperam ad me veniat, doleoque multum quod tantum incommodum subeat, sed ego necesse habeo eum videndi; nolite moleste ferre, sed ite pro amore Dei et vocate Patrem.

Ivi et administravi Poenitentiae et Extremae Unctionis Sacraenta, et dixi missam votivam de Beata Virgine pro agonizante. Ipsa moribunda voluit lavi, novisque vestibus induita in oratorium portari, et ad genua Sacrum Viaticum sumpsit. Eo toto die adhuc laboravit: at mente nunquam vacillavit; affirmavit quod cum pro illo die Deum rogavisset ut clara mente melius se ad mortem praepararet.

Deus concessisset multo majorem consuetu eluciditatem intellectus. Identidem sedebat, identidem cubabat, sed semper in oratione erat. Dicebat sibi nihil grave esse nisi quod nondum satis Deo et Beatae Virgini gratias persolvisset pro beneficiis tunc specialiter concessis.

Quid autem si sanaretur, primum facere desideraret, sciscitanti, respondit: quod unice

me ab hac infirmitate liberari desidero est ut vadam ad Patrem, ut gratias illi debitas agam. Ultimo ei valedicto, postquam tu, dixi, fueris mortua, pro animae tuae pace missas dicam, tu quoque coram Jesu Christo et Beata Virgine esto mel memor. Quod placido et sereno admodum vultu promisit.

Ad ultimum prope spiritum ducta, cum medici ei punctiones ac adustiones facerent, dixit Barbara: cum nunc moritura sim, ut quid haec omnia perhibetis?

Esto patiens, dixerunt astantes, hoc est pro sacrис vulneribus Jesu Christi. Optimè, repetit Barbara, si est pro Jesu Christo, libenter sisutinebo, et fixis semper in Crucifixum oculis tranquillè sustinuit omnes adustiones ac puncturas, quas antea nunquam passa fuerat.

Dein multis saluberrimis verbis suos desolatos parentes consolata, dictaque Salutatione angelica accessit ad januam et postquam aliquantis per brachio ad limen innixo remansisset, sese prostravit incurvato corpore ad terram et expiravit hora fere sexta vespertina anno decimo octavo suae aetatis, salutis autem 1850, 23. Septembri.

Post mortem Barbarae adhuc contemplatus sum ejus faciem et nunquam obliviscar illius pulchritudinis et pietatis. Mortua fuit quarto die postquam aegrotare coepit. Et jam decimus est dies ex quo fuit defuncta Barbara, et nondum siccantur lacrymae in vultibus nostris, nondum ejus elogia exciderunt de oribus nostris. A pluribus annis nunquam sensi tales compunctionis ac divini amoris sensus, sicut sentio a morte Barbarae. Rupta est ne malitia mutaret intellectum, aut fictio mutaret sensum ejus: consummata in brevi explevit tempora multa. Quocumque pergebat omnibus carissima, omnes pietate ac doctrina christiana imbuebat. En quomodo sumus angustiati cum tales puras animas a tam desiderabili ac laudabili proposito etiam per Sacramentorum denegationem avertere cogimur. Ex quo intravi in Coream, nullam habui requiem; solum per unum mensem Julium remansi in eadem domo, semper sum in cursibus: a mense Januario praeter iter, quod feci ex Sinis usque ad Seoul, circuvi fere quinque millia li: in his itineribus ac laboribus Dei gratia fruor semper bona valetudine. Numerus Christianorum quos visitavi sunt 3815, ex quibus confessi 2401, communicati 1764, adulti baptizati 181, infantes baptizati 94, caeremoniae baptismi suppletæ 316, in numerum catechumenorum admissi 278; infantes autem infidelium in articulo mortis baptizati fuerunt 455.

Christiani ferè omnes habitant in montibus onmino separati a paganis in locis asperrimis quae a paganis coli non possint: et isti ordinariib sunt satis bene instructi et boni observatores legis christianaæ; caeteri adhuc in planicie in suis nativis locis in medio cognatorum ac gentilium: isti communiter sunt ignari ac tepidi, et, si parum ferventiores sint, relinquunt omnia, rumpunt cuncta sceleris et saeculi vincula et evolant ad montana, ut colant tabacum et milium. Sed nec ibi diu possunt permanere sensim enim a pagans agnoscentur et persecutioes patiuntur. Sunt multi qui parati sunt ad amplectendam religionem christianam, sed propter has imminentes summas miserias impediuntur.

Maxim mulieres permulta sunt quae omrnmo dispositae sunt ad profitendam fidem sed non inveniunt medium id perficiendi: in suis enim familiis non possunt exercitia religionis christianaæ obire, relictis autem suis domibus non habent refugium, et maximum subeunt periculum ne a paganis rapiantur. Ita in persecutione et fame anni 1839 multae cum in fuga ac mendicitate vagarentur, devenerunt paganorum concubinae ac famulæ. O quantus dolor! quando talium misellarum historias audio. Post persecutionem anni 1839 quidam infensissimus nostræ religionis hostis multa fallacissima scripsit contra christianos et nomine gubernii publicavit ad omnes partes Coreæ ad excitandum omnium furorem contra christianos, atque ad indignationem ac execrationem movendam adversus Gallos. Et nemo est qui talibus fallaciis contradicere audeat, nemo est qui tot calumnias prodere valeat propter metum persecutorum: statim enim ut aliquid contradictorium prodierit, inquirentur auctores et frustra christiani ut rebelles mactabuntur.

Nunc cum Galli qui post illud naufragium in Kokounsan factum dixerunt sequenti

anno redituros, jam a triennio, nequidem nuntium mittant, omnino vaferimos putant, nulloque modo timendos existimant.

Gubernium Coreanum nunc est plusquam alios miserandum: multis factionibus exagitatum, quotidie pessimmatur. Antiquo rege adhuc juvne, 23 annorum crapula et libidine mortuo unus 18 annorum e familia regia, qui erat exsul in insula Kanghoa, ejusque avia et abavia christiana martyrio peremptae, pater non christianus sed propter religionem christianam occisus, frater per calumniam tamquam rebellis imperfectus fuere, ut dicunt, electus ab avia mortui regis nunc regnat, sed est rex nullus, et in magno periculo est amittendi regni aut matrius vita fungendi propter inimicitias quae incessanter dilacerant ministros regni, contra quos nec auctoritas regia valet quidquam.

Isti continuo sibi mutuo invidias tendunt et regi ipsi per fraudes ac astutias necem inferunt.

In praesentiarum ex Corea nullum est medium talia crimina impediendi, talesque inordinationes componendi. Miserandum in modum plebs concutitur ad solvenda varia tributa ac vectigalia: magistratus, curiani, satellites et nobiles nihil parunt: totis annis pauperculi laborant et vix sufficiunt ad solvenda omnia.

Sed dum venio ad ista enarranda ego ipse non sufficiam: hic igitur finis, et venio ad quaerendum aliquod remedium ad sublevandas istas miserias; caetera quae non spero, omittam; sed quaero unum remedium contra insalubritates aquae, forte sapientes galli poterunt indicare: sunt multa loca plana aequa ac montana quae sat bona sunt ad incolendum, sed suos incolas multis morbis ut delirio, vomitu sanguinis, longis langoribus, caeterisque infirmitatibus afficiunt. Si sit aliquod remedium contra hanc aquae insalubritatem, peto claram indicationem.

Est etiam alia mea petitio: quod est maximum solatium pro meis misellis christianis: isti magna feruntur avidia erga objecta sacra, facillimè dant quidquid habent, etsi totam substantiam debeant divendere, pro imaginibus, crucifixis et numismatibus. Possem sine magna difficultate colligere ab ipsis aliquam pecuniam pro illis objectis coemendis sed difficultas est eam transmittendi: si esset argentum sat facile esset, at in Corea argentum a paucis cognoscitur.

Dignetur igitur Pater, procurare aliquam quantitatem crucifixorum magnorum aequa ac parvorum, numismata ac imagines Beatae Virginis, Domini Nostri Jesu Christi, SS.orum Josephi, Joannis Baptiste, Apostolorum, Doctorum, et aliorum Sanctorum ac Sanctarum qui sunt notati in Litaniis Sanctorum.

Sed ista objecta sint bene et solide facta. Pretium vero potero in posterum quando erit opportunitas, mittere: indicet igitur notas ut possim solvere valorem.

Pater Daveluy nihil adhuc potest facere. Episcopus et ego soli visitamus christianos: fruimus adhuc satis bona pace: non agitatur quidem persecutio generalis, at nunquam cessant persecutioe particulares.

Faxit Deus optimus ut tandem isti persecutores sancti sui Nominis, veniant in agnitionem veritatis, atque in unum ovile Christi coacti libenti et laeto animo Domino Deo nostro serviamus.

Hic fmem faciens plurimas grates ac salutes dico omnibus in Christo charissimis et reverendissimis Patribus, atque rogo ut nostrum omnium misellorum memoriam saepè saepius recolant.

Paternitati Vestrae infirmissimus servus Thomas Tshoey

## Letter 8

J. M. J.

Place where written: Jeolgol<sup>6</sup>

Date when written: October 15, 1851

Recipient: Father Legrégeois

Reverendissime Pater

En secunda epistola quam scribo Patri ex Corea. Mense Februarii vestras litteras feliciter recepi die 10 Maii 1850 datas, ex quibus maxima recepi solatia, spero autem quod et Pater meas receperit.

Quandonam cursores singulis mensibus de Patribus nuntia nobis afferent! Suntne omnes dilectissimi Patres incolumes et cunctane in pace versantur? Sane cupidus sum scire. Nostra autem misella missio Coreana Optimi Del miseratione recte se habet juxta suum modum: pace adhuc tali quali potest fruitur; non exagitatur generali persecutione.

Hoc anno ero nimis insulsus et brevis, non enim invenio litteris commendabilia; ne tamen sim omnino tacitumus, aliquid Patri narrabo.

Hoc anno matrius quam elapso incepi meum curriculum annuale: incepi mense Octobri et totas meas provincias peragradi intra octo menses.

Paulo post initium missionis parum abfuit quin interrumperem meum cursum. Fuit nempe quaedam mulier diversorii discordans cum suo viro: ista exturbare volens suum maritum odiosum divulgavit duodecim Europaeos fuisse receptos apud eum; fuerunt statim illa mulier et vir comprehensi et intrusi in carcerem.

Inde prodiit rumor quod undique missi essent emissarii secreti ad comprehendendos illos suppositos Europaeos, et generalis terror evasit acerbam persecutionem esse exarsitaram. Illustrissimus ex facto coactus fuit interrumpere visitationem et sese in tutiorem locum recepit.

At paulo post evanuit ista vana rumor et dissipata est nimia formido. Post haec fui Deo optimo protegente tranquillus in meo cursu nec occurserunt mihi illi Sathan qui anno praeterito sic turbaverunt et praeterire coegerunt duas Christianitates. Patre Daveluy semper infirmo non valente multos christianos visitare, habui nimium onus super infirmis humeris: administratio ordinariè fuit nimium prompta; christifideles sermonibus ac instructionibus pascendi tempus non est: mei enim christiani in quinque provinciis in famosis Alpibus Coreanis dispersi per horrendos montes in vallibus pene inaccesibilibus valde dissiti habitant; aliquando post trium aut quatuor dierum asperrima itinera vix quadraginta, aut quinquaginta christiani reperiuntur.

Istae stationes missionales seu christianitates 127 fuere, in quibus 5936 numerati sunt qui christiano nomine gaudent. Si in uno loco quadraginta aut quinquaginta sint confessiones, omnes una die necesse est excipere; si autem duae aut tres tantum reperiuntur, etiam una dies necessaria est ut possit dici Missa et Sacra Communio impertiri.

Quandoque autem nocte aditur pagus et nocte omnibus peractis ante lucem oportet aufugere. In quodam loco ubi erant duae tantum domus, una partim christiana, altera omnino gentilis, erant tres fideles: unus vir et duae mulieres: vir poterat alio ire et Sacraenta suscipere, mulieres vero propter nobilitatem nullo poterant egredi, unde jam multis annis Sacramentis caruerant; itaque necesse erat ut ego irem ad ipsas; quod non erat facile.

Attamen excogitaverunt medium id perficiendi. Miserunt dominum domus paganae ad quodnam negotium praetextum, et eo absente nuntiaverunt mihi ut venirem ad ipsas; me

<sup>6</sup> Jeolgol (Tselcol in Latin). This is presumed to be the place known as Jeolgol in Yongdeok-ri, Baekgok-myeon, Jincheon-gun, Chungcheongbuk-do.

adveniente suaserunt mulieribus illius domus gentilis ut locarent suam domum ad excipiendum hospitem, sicque illam casam a suis dominis infidelibus evacuatam ornaverunt in oratorium, et per noctem gentilibus dormientibus ibi congregati Sacramenta fuerunt refecti.

Sed dum ita res nostras componimus, multa infidelibus dicimus mendacia, non quidem ex malitia sed ex necessitate, sine quibus aut statim objicere religionem christianam aut omnes confessim ad martyria duci necesse est.

Unde christiani omnino incogniti vivunt; si enim agnoscuntur ut tales statim ad vincula ducerentur, inde etiam difficile admodum infideles evangelizantur: fere nunquam directe per predicationes christianorum, multo minus vero sacerdotum audiunt doctrinam christianam sed ordinarie per aliquam famam, aut aliquod factum persuasi de veritate religionis christiana, ipsi sese ducunt ad fideles, et petunt se instrui et admitti in ipsorum societatem.

Sic fuit quidam nomine Tso valde nobilis conversus isto anno: hic audiverat aliquid de religione christiana, sed tamquam iniquissima et rebellica; non longe ab ipsius pago habitabant christiani in valle montis Menghemoki vocati; iste etiam voluit habitare in illa valle prope christianos, et venit ad aedificandam domum ad colendum ilium montem.

Accidit autem ut totus vicus Menghemoki incendio cousumeretur: venit ille Tso ad eos consolando de tali calamitate, et videns illos nullo modo tristantes, fuit valde admiratus quomodo in tanto infortunio ita jucundi essent et voluit omnino scire hujus rei causam; omnia dixerunt sed nunquam persuadebant, tandem coacti sunt dicere veritatem quod quia erant christiani et omnes eventus secundos et aerumnosos per Dei voluntatem accidere credentes Deo optimo semper confiderent et ejus sapientissimam providentiam adorarent.

Fuit laetus valde audire talia et toto corde voluit amplecti talem religionem: incepit discere preces, catechismum, et practicare legem christianam; sed habebat multa obstacula: habebat tabellas majorum, habebat multos cognatos et amicos: his omnibus se abdicare necesse erat, ex quo ultima mala imminebant; nihil tamen vacillavit, statuit omnibus spretis Deo solo servire.

Incepit a principali: emisit totam familiam ad diversa sub diversis praetextibus, ipse solus remansit in illa domo in valle aedificata: sumpsit aliquos christianos, et nocte circumposito domum igne incendit omnia sacra profana; ita tamen ordinavit ut pagani fortuito casu hoc accidisse crederent.

Deinde tanquam ex illo facto demens effectus renuntiavit omnibus societatibus civilibus et declaravit se in posterum fore mortuus civiliter, proptereaque omnes ipsum tamquam mortuum reputare debere.

Quando fui in illa christianitate baptizavi ilium et dedi nomen Paulum, injungens ut sicut beatus Apostolus Paulus prius Ecclesiae hostis dein Apostolus egregius doctor gentium fuit, ita et deberet, ipse totam suam familiam et alios quos potuerit edoceret doctrinam christianam.

Erat Paulo frater natu minor, litteratus magnamque considerationem in saeculo, ad altasque dignitates spem habens: hunc primum voluit participem facere fidei et duxit ad christianos qui eum edocerent veritates christianas; sibi ipsi sapiens sapientia humana noluit audire et intelligere veram sapientiam; agnitam veritatem noluit amplecti, sed suis fallacibus ac subterfugiis ratiunculis pervertere conatus est, inde unice incubuit avertere Paulum a fide, sed cum ille esset major, quem primogeniturae lege loco patris venerari tenebatur, nihil violenter agere poterat in eum; unde secretam, eoque fortiorem vim adhibuit: jacuit in suo cubili declarans se nihil manducaturum, nihilque bibiturum nisi suus frater juraret se non amplius professurum sectam christianam, atque ita per octo dies omnino jejunans fuit ad agoniam.

Paulus in hac extrema necessitate constitutus adiit illum, et cur, inquit: ista stulta res? Tu vis ut non vadam in Menghemoki? Bene ego non vadam illuc, esto tranquillus et sume cibos necessarios ad revocandam tuam vitam.

Sic reviviscens impius frater cum nihil se priori methodo profuisse vidisset, se vertit

ad christianos, per quos Paulus fidem amplexus fuerat, et minatus est eis extrema mala, dixit se vocaturum satellites ad eos comprehendendos et ad vincula trahendos.

Unde dissipata agricultura; quam incipiebant, et diruto oratorio fugerunt illi christiani ad alia loca et in maximas miserias redacti sunt.

Ita saepe minima causa excitat maximas turbationes, et quotidie fit major angustia pro nobis: gentiles enim quotidie diarius audiunt res christianas et facilius suspicantur christianos; audiunt tantum difamatoria, et calumnias a malis, veritatem autem nunquam audiunt: ordinarie narrantur inter paganos capturae, incarcerationes, supplicia, mortes et ruinae christianorum, modus vivendi pauperrimus, probrosus semper in montanis, in inhabitabilibus vallibus, secretis; ab omnibus publicis societatibus alienatio, sacrificiorum et rituum civilium et domesticorum desertio, parentum, fratrum, propinquorumque derelictio et oblivio etc. etc.

Hujusmodi inter se conferentes majus in dies odium et contemptum percipiunt, et si infeliciter aliqui christiani in eorum agnitionem venerint omnibus modis eos vexare student, et impium ac indignum se putant eos immunes relinquere a suis atrocitatibus.

O si super haec persecutio publica et fames nobis supervenirent, quomodo videbimus tot mala istorum misellorum fratrum meorum! Quot fame et frigore periere in illa persecutione anni 1839! Jam plus decennium efluxum est et adhuc quantae reliquiae illius calamitosi temporis! Quando audio historias illorum dierum, discinditur totum cor dolore compassionis. In Corea quidquid legum, consuetudinum ac morum est, videtur unice compositum ad impediendum observationem legis christiana; duo tantum nobis fovent modo mirabili in statu praesenti: modus nempe sese vestiendi, atque in diversis circumstantiis se habendi eorum qui in luctu sunt, et litterae Coreanae; porro parentibus orbati per tres annos sese habent tamquam maximos poenitentes: non debent se immiscere cuiquam rei publicae et solemni, praeterea quae ad funus et sacrificia pertinent, nullis delectamentis se indulgere licet, gestant pileos qui totum caput usque ad humeros cooperiunt, portant velum bacillis consutum quo os usque ad nasus et etiam oculos obnubant.

Ista consuetudo scripta pro introductione Patrum europaeorum inventa videtur, sine qua oninino impossibile esset ipsis remanere in Corea.

Litterae autem alphabeticae quatuordecim consonantibus et decem vocalibus constantes facillimae sunt, plerumque a pueris decennis usu possidentur: istae litterae supplent defectum praedicatorum et pastorum: hoc enim medio etiam in incultis partibus discunt fideles christianam doctrinam et salutis monita recipiunt.

In praesentiarum gubemium omnino silet de christianis, neque enim habet tempus cogitandi de alia re, suis internis occupationibus valde distentum: legationes incessanter ad Sinas mittit. Ultima legatio fuit ad obtinendam purgationem familae praesentis Regis a Christianismi et rebellionis accusatione ab imperatore.

Rex quippe qui nunc regnat, novemdecim annorum oriundus est ex stirpe quidem regali sed ex progenie valde infamata. In prima generali persecutione anni 1801 inimici religionis christiana ut facilius perderent quosdam christianos, qui ipsis sapientiores et apud regem acceptiores, quotidie in potentiores efficiebantur, invenerunt falsissimam calumniam, quod christiani machinarentur expulso legitimo rege vellent constituere alium nomine lini.

Hic erat frater regnantis et avus nunc solium occupantis: iste nequaquam christianus erat, tantum ipsius uxor et nurus fidem profitebantur. Tunc Iim tamquam caput christianorum et rebellis cum uxore et nuru ultimo suppicio fuit addictus et tota familia in insula Kanghoa exulata. Exinde familia ista semper in pejus tractata, atque indignioribus calumniis dilacerata est: ejus filii partim morti traditi, partim in extremas miserias redacti. Captor vocabatur praesens rex et famulabatur suo cognato, ibat ad nundinas, vilissimi mancipii munia obibat, et durissimi domini verbera pene quotidie subibat, quando mortuo priori rege, venerunt legiones ad eum assumendum in regem. A fundatione regni Coreae non reperitur in historia huic simile factum. Necesse autem erat purgare illam familiam a talibus notis

infamantibus: miserunt ergo ad imperatorem Sinarum qui eum rogarent ut auctoritate imperiali deleret illa probra et honorem ac decorem illi attribueret.

In hac supplicatione religionem christianam falsissimam, nequissimam, omnem rationem, rectitudinem honestatemque evertentem incusavere.

Novus Sinarum monarcha respondit se nihil scire de familia illa, sed ut postulabant sua suprema auctoritate illam ab omni infamia et dedecore immunem declarare. En videat Pater quomodo ludant isti sapientes orientales.

Hoc anno mihi confessiones annuales fuere 3620, et communiones 2753; confessiones vero repetitae 235, communiones vero 220, adulti baptizati 197; catechumeni 229, infantes baptizati 54; suppletæ caeremoniae baptismatis infantium 293, adulorum vero 28; baptismi infantium infidelium in articulo mortis 255.

O si libertas tantilla quantilla in Sinis daretur nobis, quantos quotidie baptizaremus! Quot nunc miserrimae animae gemunt in sua miseranda sorte, veritatem quidem cognoscentes, sed eam sectandi medium non invenientes.

En unum specimen hujusmodi: erat quidam nomine O in civitate Eniang in provincia Kiengsang officialis sat potens: hujus frater fuit conversus et factus christianus, vocatusque est Andreas. Quando cognovit O suum fratrem factum esse christianum, fuit nimia indignatione accensus, sumpsit gladium et apprehendit Andream, minitansque eum ipso momento jugulandum jubebat ejurare sectam christianam.

Andreas nihilo territus objecit suam cervicem feriendam. Tanta constantia territo vice versa impio fratre recedente, fuit convicta uxor illius crudelis O de veritate doctrinae christiana, quae tantam magnanimitatem daret, et toto corde voluit eam amplecti. Sed ehu nullum habet medium illam observandi! In domo sua impossibile omnino est, neque ab illa eripere se potest: unde solum in suis desideriis tabescit.

Porro innumerae sunt hujus sortis personae; istae si parva libertate donarentur quam libenti et laeto animo ad ovile Christi sese immitterent. Miserere nostri, Domine, miserere nostri et effunde super nos miserationum tuarum imbres et irriga nostram terram nimis arentem et sitientem tuis salutaribus aquis. Hic etiam referto Patribus epistolam quam Coreani miserunt ad dominum La Pierre pro responsione epistolae domini Cecile; nescio si sit omnino eadem: ista vero est quam hic publicavit gubernium.

Anno elapso quidam ex insula Oiiento quae est sub ditione regni Coreae, attulerunt nobis unam epistolam dicentes eam esse missam ab extraneis navibus: fuimus supra modum admirati et aperientes epistolam reipsa agnovimus esse litteras quas vestri regni dux (Cecile) scribebat ad nostros ministros.

Porro haec continent illae: Tres gravissinii viri ex nostro regno Imbert, Chastan, et Maubant infeliciter fuere a vobis occisi: unde venimus nos ut a vobis inquiramus qua de causa eos occideritis. Dicetis forte quod vestra lege prohibeatur extraneis ad vestram terram introire; unde illi tres propter hujus legis transgressionem fuerint damnati. Hoc ita sit, sed si Sinae, Mantsourienses aut Japones forte in Coream intraverint, eos tantum perducitis ad ipsorum terras, nequaquam vero illos occidere audetis; quare igitur illos tres viros nec veluti Sinas, Mantsourienses et Japones habere dignati fuistis?

Etsi illi apud vos homicidii aut incendii vel aliorum similium criminum comprehensi dignas suas poenas licuissent, res esset sub silentio transmittenda, sed cum omnino innoxii injuste fuerint condemnati, maximam injuriam intulisti in nostrum Galliae regnum.

Ad haec nos clare respondebimus: Anno Keihai (1839) fuerunt extranei, nescimus quandonam apud nos intromissi, nostro more induiti, nostraque lingua loquentes, nocte ambulantes, die vero cubantes, figuræ celantes, vestigia abscondentes, cum nostris impiissimis rebellibus, uno verbo sceleratissimis sociati, demum capti et ducti ad quaestionem, interrogati responderunt unus se vocari Petrum Lo, alter vero Jacobum Tseng. An isti sunt de quibus sermo est in vestri ducis epistola? In quaestione non declaraverunt se esse Gallos: sed etsi se esse ex

vestro regno confessi fuissent, cum tantum nunc de vestra natione audiamus, quales vos esse cognoscere potuissemus ut non applicaremus nostram legem quae prohibet clandestinum ingressum? Et vero cum illorum agendi ratio in mutandis habitu et nominibus, declaret ipsorum malam voluntatem in introitu in nostram terram, non sunt aequiparandi cum illis qui fortuito per naufragium appellunt ad nos.

Nostrum regnum est circumdatum mare, ideo saepius extranei per ventos projiciuntur ad nostras oras, at etsi ignoti sint, quando in necessitate sunt, sublevamus eos a labore, vestimus et nutrimus, et quantum commode possimus eos reducimus ad sua: haec est lex nostri regni. Si igitur vestri tamquam hice naufragi fuissent apud nos, quomodo eos aliter tractavissimus quam Sinas, Mantsourienses et Japones?

Deinde quod dictum est, quod vestros absque legitima causa occiderimus, et vobis gravem injuriam intulerimus, hoc magis miramur: Europa et Corea ab invicem nescimus quot millibus leucis distent, nec litterae, nec vehicula communicantur; quid igitur causae, quidve gratiae aut inimicitiae reddendae rationis esse potest, ut vobis injuriam inferre voluerimus?

Considerate vos: si apud vos forte aliquis ex nostris mutatis formis occulte intrans iniqua perpetraret, numquid hujusmodi pacifice sub silentio relinquetis? Et si Sinenses, Mantsourienses aut Japonenses sicut illi vestri contra nostras leges agerent, numquid non deberemus eos punire juxta nostram legem? Olim quemdam Sinensem (Patrem Jacobum Tsou) quia mutato habitu furtim ingressus fuerat in nostrum regnum, juxta nostram legem condemnavimus et nullam inde reclamationem audivimus a Sinis, ipsi etenim norunt bene nostras leges.

Cogitate vos: cum etsi clare cognovissemus illos esse vestros, cum ipsorum facta pejora sint quam homicidia et incendia, certe non potuissemus parcere eis, quanto magis cum illos quales esse ignorantes cum nostris sceleratis ultimis suppliciis addicendis comprehendenderimus: res est clarissima, non indigent secundis verbis. Non fuimus in omnimoda ignorantia quod hoc anno veniretis ad petendum responsa, sed anno praeterito vestrae litterae fuerunt traditae sine ulla civilitate (sine formalitate requisita), unde jure non debet dan responsio nec est officium gubernatoris hujus provinciae; sed et insuper cum nostrum regnum sit sub Sinarum imperio, de omni re ad alia regna spectante, Sinas consulimus; numquid igitur vos poteritis obtainere responsa absque consultatione a Gubernio Sinis? Certe quidem non potest hoc fieri; sed etsi nostri ministri vobis respondeant, non erunt alia verba quam ista: unde haec referte ad vestrum ducem, et nolite mirari, quoniam pro veritate exponenda, adhuc dicenda ducti sumus.

Anno 1847 missus fuerat ab Illustrissimo Ferreol libellus referens quasdam historias de martyribus Coreanis anni 1839, Illustrissimus Bellinensis illum conscripserat ex quibusdam codicibus a fidelibus praesertim a Carolo Hien, cui specialiter martyr Episcopus Imbert commiserat illas exacte colligere, quique postmodum ipse martyr occubuit, coactis et ipsorum aliorumque narrationibus oralibus.

Ii plerumque non fuerant testes ocuiati, sed exauditis prout ipsis verisimiliora videbantur exposuerant. Ad finem illius libelli multorum acta fuerunt abreviata, quidam etiam omnino omissi: quorum narratio non minus foret jucunda et importans ad perfectam historiam, fideliumque aedificationem.

De caeteris nondum applicui satis animum examinare et exactius rem cognoscere; at non potui me ipsum cohibere quin attentius postquam Dei miseratione longo voto potitus ad confratres meos appuli, considerare, curiosusque investigare martyrium progenitorum meorum, maxime cum in jibo communi codice valde sobrie de patre nihilque omnino de matre mea fuerit expositum.

Posueram jam tum in animo cum primum legi in Sinis codicem Illustrissimi Ferreol ut redux in patriam exactiorem Patribus scriberem de illis relationem.

Primum igitur ut perductus fui in Coream, studui claras mihi notiones comparare, sed cum essem semper occupatus in sacro ministerio absque ullo quietis spatio, non potui aliquid de hac parte Patribus scribere: hoc vero anno Deo concedente maturius perfeci meum curriculum annualem, et aliqua requie sum donatus.

Non amittam igitur hanc mihi datam opportunitatem et conabor quantum in me est verissima exacta describere ex auditibus qui simul cum ipsis vixerunt et socii fuerunt cum ipsis captivitatis et suppliciorum, necnon pauca quae ante martyrium ad ipsorum vitam spectant, sicut ipse fui testis, et a meis fratribus, propinquis, vicinisque referuntur, fideliter enarrare.

Porro pater Franciscus Tshoeys et mater Maria I vocabantur. Franciscus erat oriundus a christianis honestis et divitibus parentibus.

Pater Francisci in primis persecutionibus multa passus, dein in libertatem fuerat dimissus. Is simplicitate ac pietate conspicuus singulari provisione suis cognatis vicinisque pauperibus subveniebat: suis mancipiis non permittebat se suosque appellare dominos ac dominas, sed patris et matris nomine vocare jubebat. Moriens suis filiis tria dedit ultima monita: scilicet gratis mutua dare, nunquam vero fidei jussores esse, sponsaliumque procuratores nunquam esse, at erga vicinos semper inoffensibiles esse.

Post persecutionem anni 1801 et mortem Patris Jacobi Tsou, ignari atque divitiis, cognitorumque consuetudinibus gentilibus distenti parum observatores erant religionis christiana in familia Tshoeys.

Franciscus a nativitate veri sectatricem, rectitudinis et simplicitatis amatricem, ac fortem indolem sortitus, ab adolescentia sprevit mundi oblectamenta et unice audiendis atque legendis verbis doctrinae christiana delectabatur.

Is grandior factus doluit multum de statu familiae suae et assidue hortabatur suos parentes et fratres ut relictis patria ac divitiis, suae saluti consulerent: verbis nihil se proficere videns, fortiora tentavit; habebat matrem, tres fratres et quatuor sorores, atque uxorem et duos filios: illis nihil dicens longa epistola post sex dies aperienda in domo uni ex familia puero tradita clam fugit, ad inveniendos doctiores christianos.

Eo non apparente a puero oblatam epistolam legerunt fratres Francisci: qua lecta tota domus fletibus ac gemitibus impleta est, singulique illico omni consilio amiso nesciebant quid agerent. Inde omnes fratres Francisci exierunt quaesitum profugum fratrem, quo invento regressi domum unanimiter in familia inito consilio abrenuntiaverunt patriae, cognitioni, ac divitiis, et omnes viginti quinque animae in urbem regiam emigraverunt. Ubi post tres annos a vicinis propter nimiam christianorum frequentiam cogniti christiani in eo fuerunt ut ad vincula abducerentur.

Tum quidam eorum amici dignitatibus fulsi voluerunt eos eripere a paganorum machinatione praecipuum eorum graviter puniendo, at recusato tali consilio, quod ita malum pro malo reddentes persecutoresque vi repellentes parum Christo conformes forent, libenter ad montana profugerunt, atque hinc de montibus in montes transmigrantes victitare coeperunt suis manibus aridam terram operantes, contenti sola spe quod cum essent divites, voluntarie pro Christo has indigentias ac calamitates amplexi, Jesu Christi et Sanctorum exemplo propinquiores viderentur.

Franciscus igitur suo voto potitus quotidie ferventior erat, et quamvis esset illiteratus, assiduis meditationibus atque piis lectionibus, tantam claritatem obtinuit divinorum mysteriorum, tantaque eloquentia atque effusione de christianis veritatibus sermocinabatur, ut etiam doctissimi inter christianos et litterati ad eum audiendum frequentarent, infidelesque plurimi difficillimi fuerint convicti ab eo.

Sive laborabat in agris, sive in domibus, sive in viis quomodocumque cum aliis versabatur, semper de religionis et pietatis rebus loquebatur cum tanta simplicitate, tanto gustu,

tantaque vi ut omnes demirarentur; nihil de cultu corporis, nihil de mundana consideratione ac saeculari cura cogitans mundanis in derisu erat.

Quando ibat ad nundinas, comparabat quidquid magis vile ac vitiosum erat prae caeteris, et quod talia emeret, vituperantibus respondebat: necesse est ut aliqui emant ista, alioquin quomodo horum venditores vivent.

Segetibus ad messem maturis maximi imbrues cecidere, undis omnia vastantibus, cum omnes desperantes de tanta calamitate gementes et Franciscus e contra quasi nihil advertens solito adhuc esset hilarior, omnes admirabantur; quibus ipse, vere mirum est, inquit: quare ita affligimini, et sic animum despondetis? Nonne omnes eventus a Deo sunt, numquid non creditis omnia a Dei providentia pendere? Si igitur a Deo ipso disponente messem amittamus, non vero nostra negligentia et culpa; quid est quod aegre feramus?

Tempore famis omnibus mediis proximorum indigentiis subveniebat: quando colligebat fructus, meliores seligebat et distribuebat vicinis.

Cum suis fratribus in admirabili concordia vixit, erga matrem singulari pietate ac pervigili cura in suos subditos, quotidie ills constanti regula etiam occupatissimis diebus pias lectiones faciebat, precesque in communi recitabat.

Fuerat constitutus catechista in una christianitate, et tempore persecutionis 1839 cum multi martyres occubuisserent in Seoul, et christiani qui habitabant in Seoul dispersi et persecutione ac fame confecti non valerent eorum corpora colligere et sepelire. Franciscus cohortatus fideles sui pagi, qui distabat a Seoul quinque leucis, et eleemosinis collectis ascendit in Seoul, et sepelivit martyrum corpora.

Inde in domum rediens totus fuit ad se suosque praeparandos ad martyrium. Quotidie congregabat sui pagi christianos et ferventibus verbis cohortabatur, animabatque ad martyrium subeundum.

Quadam die ante lucem, astiterunt satellites ad fores, et dominum domus quaerentibus prodiit Franciscus, et unde, ait: venitis? Cui illi responderunt: ex Seoul venimus. At Franciscus, quare, reposuit, tam tardi estis? Diu vos expectavimus, impatienti animo hoc tempus desideravimus: en nos omnes parati; nolite solliciti esse: Sed cum nondum lux fiat, quiescite paululum, et capto cibo cum ordine omnes proficiscemur.

Quibus auditis admirati satellites dixerunt: iste est vere christianus, veri christiani sunt revera tales et nihil timentes ne ipsi fugerent, dimiserunt omnes liberos et venientes in unum locum profunde dormierunt.

Interea christiani sese praeparaverunt ad carceres proficiscendum. Franciscus autem totus ad omnes animandum et exhortandum erat, et Maria ad comparandam mensam lictoribus.

Quibus e somno expergefactis et cibo refectis Franciscus protulit omnia vestimenta et vestivit singulos satellites, et a maximo usque ad minimum omnes utriusque sexus christiani quadraginta et amplius in unum sese congregaverunt, et sine vinculis processerunt viri cum majusculis pueris et mulieres cum parvulis lactantibus.

Erat autem mensis Julius, in quo maximi fuerunt calores, et prae aestu solis et defatigatione itineris infantibus clamantibus senes et juvenculi lente admodum procedebant. Franciscus erat ad caput, quem omnis turma sequebatur, et lictores processionem laudabant, tam spectabilis erat ista legio: tota via spectatorum partim maledictis ac imprecationibus partim gemitibus implebatur; et major erat vox Francisci suos confratres cohortantis: nolite, nolite, clamabat, mi fratres, despondere animum; nolite aegre ferre laborem istius itineris: ecce Angelus Domini mensura aurea metit vestros passus; considerate D. Jesum cum cruce ad montem Calvariae pro nobis properantem atque in hunc modum continuo se vertens ad sequentes ferventia verba faciebat.

Cum ad urbem propinquassent funibus quinque quinque colligaverunt satellites et singuli quinque ibant per plateas civitatis ad carceres: dum ita procederent cordis circumdati parvulis ad brachia, infantibus ad manimas, undique maledictis, lapidibus ac fustibus

impetebantur a paganis qui maxime indigne ferentes mulieres cum infantibus ad mortem properantes, clamabant: o sceleratae, o impiae! Quomodo etiam cum istis tenellis mortem petitis.

Franciscus erat cum Maria conjugae et quinque filiis quorum major nomine Jacobus habebat quatuordecim et minimus duos tantum annos.

Ducti in carcerem projecti sunt in vinculis latronum. Sequenti die producti ad tribunal primus Franciscus applicatus fuit ad torturam.

Judici ut apostataret, interpellanti respondit: etiam homini infidelem esse nefas sit, quanto magis supremo Domino Deo infidelem esse! Apostatare non possum.

Brachiorum ac crurum torturas, tabulae ictus centum et decem subiit, et carne omnino dilacerate suo cruento cooperitus cum esset sine sensu ac motu deportatus est in cacerem: similiter omnes quadraginta etiam parvuli ad tormenta addicti fuere, non tamen omnes usque ad finem perseveravere.

Plurimi in ultima agonia ex torturis intellectu et sensu privati assistantibus tortoribus et proferre unum verbum se non professuros religionem christianam, urgentibus, cum edidissent solummodo negationem. Non statim soluti in libertatem demissi fuerunt.

Ita etiam Jacobus usque ad tertium ictum fustis non aperuit os et post tertium fuit omnino exanimis et nullomodo conscientis est si apostataverat, sed postquam tortores dederunt medicinam ut evigilaretur a morte, liberum relaxaverunt.

Post primam quaestionem satellites et praetoriani congregati in consistorio eduxerunt Franciscum ex ergastulo et ei quemdam librum christianum tradentes, en librum, dixerunt, vestrae religionis: nos tuam lectionem audiendi desiderio ducti hic congregati sumus, lege igitur nobis hunc librum.

Quorum petitioni gaudenter acquiescens confessor, quasi ad tantani epulam invitatus, cum tota effusione ac hilaritate legebat ut illi pagani auditores surgerent saltare et laudare religionem christianam, quae tantam laetitiam et libertatem etiam in tali miseriarum et horroris loco daret.

Postquam finisset Franciscus legere, invitaverunt et Mariam ad lectionem, quae recusanti quod ignoraret litteraturam, dicebant: quomodo fieri potest ut tanti catechistae uxor nesciat legere?

Franciscus igitur per quadraginta amplius dies, innumeratas miserias, atrocissimaque supplicia immutabili constantia perpessus, ita ut tortores eum lapidem nominarent, quo nomine duo in illa persecutione fuerunt illustres, Franciscus nempe et Carolus Tso, conceptivis praedicta mortis hora die 12 Septembris 1839 gloriosum martyrium consummans animam efflavit anno suaetatis 36.

Maria I oriunda ex praecclara in Corea familia I quae produxit plures celebres viros maxime Danouen I Tsontshang qui praecipuus fuit ante primum Missionarium ad praedicandum Evangelium in provinciis Coreae munereque sacerdotali functus est.

Anno quippe 1784 quidam nomine I Senghoun ex commisione I Piek, qui per studium aliquorum librorum Sinicorum intellexerat elementa religionis christiana, Pekinum petens adiit Episcopum Pekinensem, qui eum laetanter excipiens praecipuis veritatibus instructum baptizavit, multosque illi tradens libros christianos, commisit ut in Corea apostoli munere fungeretur.

Is redux in patriam ferventer quidem, sed male propter ignorantiam fundavit christianismum: ipse seipsum et alios, inter quos et I Tsontshang sacerdotes creavit: sed hic postea agnita sua perpera agendi ratione gloriose martyrio poenitens occubuit. Illa familia I primum falso sacerdotio privata, dein vero sacerdotio fuit decorata: duos enim progenuit sacerdotes per filias, per Melania quippe I aviam Patris Andreeae et Mariam I quae fuit neptis Melaniae sobrinae I Tsontshang.

Maria inter quatuor fratres et sex sorores natu erat minima: perspicaci intellectu virilique animo dotata, octodecim annorum nupsit Francisco, et rem familiarem sapienter sine quaerela rexit. Patria et divitiis propter Christum abdicatis, summas indigentias longasque per arduos montes peregrinationes gaudenter sufferebat.

Dum ad loca longinqua emigrati in itineribus piae defatigatione sui parvuli filii defecerint, eos proposito exemplo Christi et B. Mariae in Aegyptum fugientium et Christi ad montem Calvariae ascendentis exemplo ad patientiam et longanimitatem exhortabatur.

Virum etsi aetate minorem semper cum magna veneratione ac diligenti obsequio coluit, magnaue concordia ac unanimitate cum eo vixit; dicebat saepe se nihil aliud timere in hoc mundo quam viro suo superstitem fieri.

Satellitibus domum invadentibus, nubo modo turbata collegit quidquid melius residuum erat, et magna hilaritate ac diligentia cibos praeparavit lictoribus, et cum aliis proficiscentibus in seipsa ac infantulo ad iter parandis tardior remaneret, quidam satelles ad eam accessit modo nimis barbaro dicens: caeteri jam pergunt, tu quare sola remanes? Numquid non vis ire? Cui Maria indigne ferens officiis erga mulieres parum convenientem agendi rationem, gravi voce dixit: tu quis es? Tu es pessimus homo; quid ad te si vadam vel non vadam: est in mea potestate, si velim, vadam, sin autem non vadam, quid ad te? Sed quomodo non vadam cum meus vir et filii mei eant, tu vero recede et perge tuum iter. Quo recedente Maria ad brachia sumpto infante prosecuta est turmam.

In Seoul perveniens a viro et filiis majoribus sejuncta, in custodiam mulierum fuit conjecta cum parvulo puero. Sequenti die cum aliis stetit ad tribunal. In cruribus torturata, brachiis contusa et fustibus dilacerata fortiter Christum professa est. Praeter torturarum supplicium maximas habuit afflictiones propter infantem, qui quotidie piae deficiencia lactis et carceris horroribus, sub oculis matris emoriebatur.

Attamen vivente Francisco semper constans permansit. At viro mortuo suppliciis consummata, vinculorumque horrendis miseriis confecta falsa erga proles adhuc teneras misericordia permoveri coepit, et turpiter caedens carni et sanguini, per unum fictitivum verbum misellorum natorum utrique temporali et spirituali saluti consulere voluit.

At Deus sua misericordia labentem ex infirmitate famulam statim relevare voluit. Post apostasiam cum jam esset in libertatem relaxanda prodita fuit res filii primogeniti Mariae qui a Patre Maubant missus in Macao studebat lingue latinae. Propter hanc causam Maria ad superius tribunal translata est; ibi eam Christi confessores hortati sunt ut praesidi retractata apostasia gloriose martyrio occumberet. Quibus verbis compuncta Maria sincere luxit suam defectionem et fortiter retractavit coram judice suam infidelitatem, et ex hinc constans superavit omnes tentationes et fortior se effecta omnes materni affectus suggestiones rejecit.

In hoc tribunali vidit suum infantem fame et miseriis sub oculis mori; sed gavisa est duos Christo parere filios qui exemplo et salutaribus verbis Mariae conversi discebant ab ea doctrinam et preces religionis christianaee.

Per mensem et amplius Jacobus semper commorans in carcere ministrabat Mariae matri suae et ahis concaptivis Christi et testis fuit omnium usque ad diem mortis.

Post trinam ibi consuetam torturam lata sententia, cum appropinquasset dies mortis vocato Jacobo, tranquilla dedit ultima monita pro diligenti observatione mandatorum Dei et concordia ac dilectione inter fratres habenda, et carnifices crucis fabricantes, totum carcerem instrumentorum streperi implet. Maria finita oratione praecepsit Jacobo ut valedictis confessoribus abiret, ne ipsam ad locum extremi supplicii pergentem comitaretur: commota quippe erant viscera materna in illo mornento et timebat ne conspectu filii quem adhuc in adultum cum tribus parvulis sine subsidio, sine tutoribus orphanos relinquebat, turbaretur et minus expedita reperiaretur in ultima acie.

Ita in aeternitate valedicta matre Jacobus exiens commendavit hominibus carceris qui debebant praesentes esse ad ultimum supplicium martyrum, Ut curam haberent et diligenter

observarent ad Mariam usque ad ultimum momentum. Inde Maria cum sex aliis ascendit triumphalem crucem, et placide ad aream ducta gloriose carnificis gladio occubuit die 31 Januarii 1840, aetatis vero suae 39.

Porro hic finiendi locus: hic igitur finem ponens humillimas et affectuosissimas salutes omnibus meis amantissimis Patribus dico, eosque rogo ut mei, meorumque misellorum memores semper esse dignentur.

infirmissimus Thomas Tshoey miss. ap. Coreae

## Letter 9

Totum regnum omnibus cladibus quassatum miserabile jacet. Pauperes, divites, christiani, pagani, nobiles, ignobiles, magni et parvi nullam securitatem habent. Parvi a magnis vorantur ; magni et parvi sese invicem mordent. Interea aulici semper proclamantes : pax, pax, in continuis ludis, ebrietatibus ac infamibus spectaculis seipsos et populum consumunt. Rex est nomine tenus, re nullus. Mandarini ad Provincias mittuntur qui plus pecunias ministris obtulerint ; isti, ut solvant sua debita, contracta ad obtainendos gradus, suasque familias ditent, ac benefactores suos gratificant, toti sunt ad excutiendos pauperes. O quam indigna est imago status nostri! (Extract of a Letter written by Thomas Tshoey, a Corean Priest, dated October 23rd, 1853)

## Letter 10

J.M.J.

Place where written: Donggol<sup>7</sup>

Date when written: November 4, 1854

Recipient: Father Libois

Reverendissime Pater De luctuosa admodum morte nostri boni missionarii R. Patris Jansou et de caeteris non repetam Patri, legat in epistola quam scripsi Patri Legregois.

Per adventum Patris Jansou recepi Paternitatis Vestrae litteras 12 Aug. 1853 scriptas. Quanta debuisset esse laetitia et solatium pro nobis desolatis et lugentibus mortem Episcopi nostri Illustrissimi Ferreol, quando licuit videre novum missionarium nobis advenientem et litteras vestras legere, narrationesque de arnantissimis Patribus et eorum negotiis audire, sed ab ipsa navigatione contracti illius miserendi missionarii morbi aspectu nonnisi terrore et maximo animi dolore percussi sumus.

Quam infelix nostra rnisella missio! Cum tanto labore tot annorumque sollicitudine introductum amisimus, nec unius diei laeta consuetudine recreati!

In Corea sive gubernium sive totus populus maxime incriminant missionariis et nostrae sanctae religioni, eo quod furtim veniant missionarii et furtim eam doceant, et secreto practicernus; inde sernper ipsis appetet religio christiana odibilis et infamis, nulliusque pretii esse etiam in Europa.

Unde quidquid praedicarnus et exponitur in nostris libris, quorumdam vafrorum ad decipiendum homines inventitia esse ipsis videtur. Si verum est, inquiunt, quod isti dictitant, quare ipsorum principes qui omnes christiani dicuntur, cum pro minimis negotiis plurimas naves ad Sinas, Japonias et saepe apud nos mittant, nihil agunt de ipsorum religione, quae certe omnium maxima res esse debet?

Persuasus sum quod si missionarii publice in aliqua navi adveharentur et cum sufficienti probatione a gubernio Galliae commendarent nostro gubernio, ne ullum obstaculum eorum ministerio opponant, ita ut omnino ipsi constet gubernium Gallicum absolute velle publicam facere religionem christianam in Corea, certe omnia nobis concederent.

Transacto vere tres alumni fuerant missi per cymbam Kiannannensem ad Changhai; prosperbne pervenerunt usque ad collegium? Et rectene valent? Rector collegii certe debet jam cognovisse singulorum indolem, velim tamen ex mea parte ipsi notum facere, secundum inter illos, qui vocatur Joannes Kim, esse satis extravagantis ingenii, dubiaeque indolis, et si mature in recto sensu non formetur, valde timendum esse ne perditus evadat, et omnes ita dirigat ut bene apprehendant humilitatem christianam, quam in Corea non possunt intelligere, verae humanitatis ideam non habentes, hominisque entitatem justo pretio aestimare ignorantes, sed totam hominis dignitatem et valorem in temporalibus et exterioribus gloriae commentitiis ponentes.

Status missionis nostrae valde dolendus est propter inimicales divisiones inter christianos propter distinctiones classium. Quotidie deficit fides christiana, et fraterna charitas, continuaque disputatione, simultate ac malevolentia dissolvitur et consumitur. Quodnam huic male remedium? Si ita relinquatur crescere, quidnain demum fiet do nostra missione? In sua epistola Pater promiserat mihi sacras imagines, cruces ac numismata etc, per P. Jansou

---

<sup>7</sup> Donggol (Tongcol in the Latin): Probably a Christian village in what is now Jincheon-gun, North Chungcheong Province.

missurum, sed nihil horum vidi, expecto autem saltem pro sequenti occasione.

Oret autem multum pro me, meisque misellis Coreanis ne fiamus vasa irae sed filii misericordiae divinae, tandem aliquando in coelo occurramus Patri, quem in mundo videre despero, saltem in aeternum non separer.

Paternitati Vestrae infirmissimus servus Thomas Tshoy

## Letter 11

J.M.J.

Place where written: Baeron<sup>8</sup>

Date when written: October 8, 1855

Recipient: Father Legrégeois

Reverendissime Pater

Isto anno nullas recepimus litteras a Patribus: nescio quomodo factum sit ut nostri cursores nullam cymbam potuerint invenire quae ex Shanghai aliquas notitias afferret; expectabamus animo sane impatienti proxime elapso vere per cymbam, qua mittebantur cursores usque ad Shanghai pro receptione nostri novi Episcopi illustrissimi Berneux, laeta nuntia de Patribus et novos Missionarios nostros cooperatores, sed illa cymba cum occurrisset cuidam navigio Kiangnanensi christiano, ab eoque audisset nullam aliam navim advenire quae Patres et litteras adveheret, depositis cursoribus in illam navem, rediit sine ullo nuntio neque de Sinis neque de Europa.

Faxit autem misericors Deus ut omnes mei reverendissimi ac dilectissimi Patres bene se habeant, omniaque prospere circa ipsos gerantur, ac nostri cursores fauste pervenerint usque in Kiangnan, et brevi feliciterque nostrum novum Episcopum ac caeteros missionarios introducturi sint in nostram missionem. Deo optimo dante sumus omnes adhuc in satis bona valetudine ac tranquillitate; insuper annus hic valde fertilis misellis nostris christianis magnum levamen attulit, sed et quod abundantioris nostri gaudii est, pluresquam olim novos fratres adjecit nobis Deus, quos enim ego solus baptizavi, adulti 240 numerantur. Sed proh dolor! Inter eos quidam, qui apud nos nobiles dicuntur, quique in principio prae caeteris ferventiores ac firmiores videbantur, spinis pullulantibus facilius suffocati aruerunt.

Istius enim classis homines ordinarie vivunt otiosi, etsi pauperrimi nihil habeant ad se suosque sustentandos, nequaquam volunt laborare, sed per injusticias, defraudationes ac exactiones iniquas victimum quaeritantes ludis, ebrietatibus perversisque congressibus dediti sunt: hi semel jugo Christi subiugati, cum lege divina constricti pristinam conversationem deserere cogantur, et aliunde nullius artis proficuae sustentationi suaे periti sint vel peritos se reddere dignentur, jam nihil habent ad manducandum, et fame compulsi redeunt ad pristina et saepe pejores fiunt quam unquam.

Usque nunc nostrum Gubernium sulet de nobis christianis: etenim alia plura habet quibus occupetur.

Nunc agitur de transferendis octo sepulchris majorum nostri regis non enim (uti dicunt nostri sapientes speculatores naturam terrae) sunt satis in bono loco tumulata illa cadavera, et ideo non possunt bene prospicere suis posteris; et inventa sunt loca magis feracia inclitae posteritatis, inter quae unius civitatis solus optimus repertus est ab illis sapientissimis, unde haec civitas debet cedere locum et alio transplantari.

Ante aliquot menses agebatur de elevatione abavi nunc regnantis jam multis abhinc annis mortui (qui fuerat occisus suo patre vivente per conjurationem unius partis ministrorum, alia parte adversante) in dignitatem ac denominationem regiam. Primus qui proposuerat hanc sententiam exulatus fuit, reliqui numero 1,000 doctores ejusdem propositionis rejecti et

---

<sup>8</sup> Baeron (Pairon in the Latin): more precisely, the ‘St. Joseph Theological Seminary’ in Baeron (now Guhak-ri, Bongyangum, Jecheon-si, North Jeolla Province). It was established as a preparatory seminary in 1854, and in 1856 it was promoted to a minor seminary, and Father Jean A. C. Pourthié was appointed as the first principal.

malehabiti sunt, nepotibus illorum ministroum qui auctores fuerant mortis illius principis, reluctantibus, ne sui majores convincantur injustae occisionis innocentis principis.

Nostri ministri continuo de hujusmodi rebus aut de aliis ad se invicem devorandos agitandis, aut novis legibus insignificantibus ferendis versantur. Ante aliquot menses lex prodiit prohibens ne gestatoriis portarentur homines: hujus transgressores aliqui occisi, alii in exilium missi sunt, et jam a pluribus mensibus liberum est cuique ire in gestatorio.

Videat Pater ex hoc specimine quale sit nostrum gubernium, et qualis debeat esse vita hujus pauperculi populi. Ultimis quas recepi litteris Pater mandaverat ut clariores notitias de circumstantiis mortis martyrum Francisci Tshoy et Mariae Y progenitorum meorum, Patri referrem. Quaesivi testes qui exactius et venius omnes circumstantias, ipsorum deprehensionem, vincula, supplicia, quaestiones, ac mortem spectantes narrarent, et inveni duos sed non potui audire clariores ac exactiores quam quas misi, notitias.

Quando Franciscus mortuus est, nullus erat in carcere fidelis praeter unum concaptivum qui usque nunc vivat et testetur de illo. Postquam igitur pro ultima vice horribilia tormenta aequanimus subiisset, semimortuus in carcerem reportatus, paulatim redeunte spiritu, nihil aliud illo audiente proferebat quam ejulatus ac verba maximum animi dolorem exprimentia de apostatis qui secum comprehensi, suppliciis victi remissi fuerant; et tertia die post ultimos dies cruciatus dixit suo concaptivo: hodie ego debeo mori, et patior vehementer sitim, quaere mihi aliquem potum, quem oblatum cum bibisset, adhuc post quaedam verba compassionis de illis apostatis spiritum placide reddidit.

Pro Maria autem nullum inveni testem oculatum in ultimo momento extremi supplicii, quando scilicet capite plexa est: ipsa enim remiserat suum filium nomine Jacobum qui remanet solus testis pro illis ultimis mornentis, quando in eo erat ut statim cruci super currum erectae alligata ad ultimum supplicium duceretur, ne ex mutuo conspectu animus commoveretur; tantum quidam domesticus carceris, qui a Maria doctrina christiana imbutus, etsi nondum per baptismum christianus factus, credebat in Deum, narravit Jacobo quod ipse spectaverit illam usque ad capitum decisionem et semper eam aequanimam atque hilarem fuisse usque ad ultimum momentum, seque ex ipsis consideratione mirifice commotum et aedificatum fuisse.

Eorum corpora utraque requisita a suo filio et cognatis sepulta sunt: sed corpus Mariae fuerat simul cum omnibus aliorum martyrum eodem tempore capite percussorum corporibus metu paganorum nocte sepultum in medio aliorum gentilium sepulchrorum, et jam non potest agnosciri in quo tumulo jaceat. Franciscus autem bene distinete inter christianorum tumulos sepultus est.

Pater locutus fuerat etiam de aliis martyribus aut de quorumlibet factis notatu dignis: inveniuntur quaedam hujuscemodi sive in scriptis sive ore tenus narrata, sed deficientibus sufficientibus probationibus non possum referre Patri, postea si quidquam tale reperiam non omittam mittere Patri.

Pro nunc nihil aliud narrandum venit Patribus: sumus in sollicita expectatione nostri novi Episcopi, atque per ilium multorum de Vobis laetorum nuntiorum audiendorum.

Nihil etiam ista vice peto a Vestra Munificentia, nondum enim recepi quae prius petieram, postquam illa advenerint, alias petitiones mittam: unum non omitto, ut scilicet non obliviscatur unquam mei et meorum pauperculorum Coreanorum; atque per Patrem plurimas salutes omnibus Patribus ac reverendissimo nostro Procuratori dico.

Paternitati vestrae infirmissimus servus Thomas Tshoy

## Letter 12

J.M.J.

Place where written: Soriut<sup>9</sup>

Date when written: September 13, 1856

Recipient: Father Legrégeois

Reverendissime Pater

Quo rarius scribo eo deberem esse fecundior et abundantior quando scribo, sed nescio  
unde veniat ut dum arripi calamus, effugiat omnis cogitatio.

Verumtamen non possum me continere quin prius exprimam gaudium cordis mei de  
susceptione nostri Pastoris boni et optimi domini Berneux Episcopi Capsensis; quem olim  
magnis votis desideratum sed jam in desperationem oblitum divina misericordia concessit  
tandem nobis: sed insuper ad cumulum gratiae ipse simul secum adduxit et duos abos suos et  
nostros adjutores novos missionarios. Utinam non indigni censemur coram Deo tantae ipsius  
misericordiae.

Anno 1854 mense septembbris, nuntiaveram Patri in mea epistola de receptione  
vestrarum litterarum, ac piorum donorum; isto anno per adventum Illustrissimi nostri Episcopi  
nullas litteras de vestra charitate recipiens, non potui cordis mei angorem deponere, nesciens  
an quia mea epistola non potuerit ad Patrem pervenire, an propter aliam causam id evenerit.

Sed et vehementer admodum sensi dolorem, audiens de morte optimi nostri  
procuratoris Patris Barran; pro quo quidem quamvis valde indignas coram Deo memorias  
recolere non omittam: spero quod et ipse in vita curis ac sollicitudinibus libera non minus quam  
antea nostrae misellae missione procurator sit. Hoc anno divina misericordia concedente satis  
tranquilliter perfeci cursum apostolicum, et satis numerosi intraverunt in captura punctionis  
Domini. Centum enim octoginta et amplius adulti sacro fonte abluti Christi ovili se  
aggregaverunt. Non defuerunt tamen perturbatores Sathan qui conati sunt et conantur impedire  
vias Domini.

In quodam pago nomine Tsinpattel provinciae Tsenla, qui fere totus a recente  
conversis et jam paratis ad baptismum impatientique animo missionarium expectantibus  
constabat, vocatus, cum vespere aliquorum poenitentium confessionibus auditis, infantiumque  
baptismis ac caeremoniis baptismalibus peractis, ad galli cantum exsurgens a brevi somno  
missam celebraturus, quindecim adultis personis paratis baptismum conferre incepisse,  
repente aggressi sunt centum et amplius satellites diaboli cum fustibus et circumdantes casam  
in qua divina mysteria peragebam; vim faciebant ut ingressi in me et sacram sarcinam manus  
injicerent; sed christiani qui ibi fuerant congregati numero sat pauci comparate ad illos sese  
opposuerunt eorum invasioni, et ipsis ita ad januam conglobatis, ills cum omni violentia  
intrare tentantibus, his autem cum tota vigorositate eos repellentibus, terribile evenit certamen:  
et ex mea parte in cubiculo cum aliquibus fidelibus quam promptissime collegi ornamenta sacra  
et per posteriorem fenestram tenebris ac silvis faventibus ad montes fugi: dum autem ego cum  
meis per saxa ac vepres sine calceamentis huc illuc errarem, in pugna ex utraque parte multis  
vulneratis tandem pagani in fugam se verterunt; sed isti cum per suam violentiam nihil  
valuissent obtinere, denuntiaverunt ilium pagum apud magistratum et inde quinque  
principaliores capti et incacerati sunt.

---

<sup>9</sup> Soriut (Soriout in Latin) : This is presumed to be a village in the southern part of Chungcheong-do, northern Jeolla-do, or Gyeongsang-do.

Inter hos unus nomine Paulus Ny a septem aut octo annis factus christianus fervore ac caeteris christianis virtutibus valde commendabilis, catechista constitutus erat illi pago. Alter nomine Augustinus Ha solum a tribus annis ex praetoriano qui post praesidem primus erat in civitate, factus christianus jam plurimos ad fidem converterat, tanquam motor et disseminator religionis christiana captus est.

Alii tres sunt tantum catechumeni ab uno et minus anno conversi, eo tempore, quo invasus fui a paganis, baptizandi sese praesentaverant mihi.

Horum primus ex familia primae nobilitatis Coreanae oriundus, intellecta veritate religionis christiana, cum non posset apud suos propter multa impedimenta practicare illam, relicta sua patria apud christianos in montes emigraverat. Alii autem duo cognati ipsius apostatae qui imitator primi illius apostatae Judae Iscariotis conduxerat illos satellites ad me capiendum, et ab eo primo conversi, postquam ille evasit apostata, proditor et persecutor, multas ab eodem vexationes, ut ipsum imitantes etiam apostatae fierent, perpessi constantes semper permanerant.

Hi omnes ad praesidem adducti fortiter Deum confessi cum juberentur maledicere Domino coeli responderunt: cum crimen sit maledicere etiam principi temporali, quanta impietas maledicere Domino coeli aeterno Deo! Non possumus tantum scelus committere.

Post primam quaestionem in carcere suis stipendiis vivere relinquuntur; et cum ipsorum familiae valde pauperes sint, difficulter eos sustentant. Si haberem aliquid, subvenirem ita pro Christo patientium necessitatibus, sed tantum suspiria ad illos mittere cogor.

Quoniam Pater in suis litteris mandavit ut aliquas relationes nostrum martyrum, quae Christi Fidelibus Europae aedificationi forent, scriberem, non omisi hujusmodi colligere; sed plerumque deficientibus necessariis testibus, non potui multas habere probatas.

De uno ista vice referam Patri, qui anno Keihai 1839 in ultima universalis Coreanae ecclesiae persecutione martyrisatus, sed quia in provincia parum notus erat christianis urbis regiae quando collectae sunt relationes martyrum illius anni, fuerat omissus in codice generali. Inveni narrationem scriptam et ipsius patre, uxore, filio ac pernotis amicis extantibus, potui habere sufficienes probationes.

Porro noster martyr nomine Joannes Tshoy est ex provincia meridionali Tshoungtsheng a parentibus christianis oriundus. Ab infantia docilitate ingenii ac pietate erga suos parentes, charitateque erga alios multum commendabatur. Ipsius avo in prima persecutione in exilium acto, tota ejus familia secuta est ilium in exilium, ibi in civitate adultus Joannes cum videret se suosque in medio paganorum non posse ut par est observare legem christianam, emigravit in montes, ibi constituta parva christianitate ipse doctrina et exemplo omnibus forma boni christiani erat.

In eo maxime effulgebat constans patientia in tolerandis omnibus miseriis extremae indigentiae, in qua tamen non omittebat officium charitatis in quantum sibi paupertas permittebat eleemosinas etiam factitando, singularis fervor in obeundis omnibus officiis pietatis christiana ac in cohortandis suis confratribus; maxime quando adveniebat missionarius in suum pagum et sacramentales gratias suscipiendo tempus erat indicibili zelo succendebatur, admirabilique gaudio replebatur. His virtutibus commotus missionarius eum catechistam in jibo pago constituit. Post receptionem sacramenti Confirmationis, quodam modo evidens prae se ferebat signum susceptae plenitudinis Spiritus sancti, et de die in diem crescebat in eo desiderium seipsum per martyrium vivum holocaustum Deo offerendi.

Anno 1839 cum exorta persecutio in dies saeviret, Joannes suos parentes ac familiae caeteros homines conduxit in locum tutiorem, et cum rediret ad resumendos religiosos libros, occurserunt ei satellites, qui agnitus eum christianum et frustra ut suos ac vicinos proderet cruciatum, perduxerunt ad praesidem. A lictoribus ita fuerat torsus ut jam plenis plagiis difficile posset se movere, sed oculos mentis conjecit in Christum Jesum bajulantenem crucem et ascendentem in montem Calvariam, et statim sensit se onmino vigorosum et alacrem in via

captanda. Cum adductus ad praesidem stetisset, verum ne est, inquit ille, quod tu malam sectam profitearis? Cui Joannes: non profiteor, ait, ullam sectam malam, sed colo religionem Domini coeli. Tum tortoribus eum cruciantibus, indica, repetiit judex: quot et qui sint tui correligiosi et ubinam habitent. Non possum, respondit Joannes, prodere meos confratres: prohibet enim nostra sancta religio quoquo modo nocere proxirno.

Post quae reductus in carcerem a satellitibus et multitudine plebis innumneris injuriis ac torturis lacesatus et post aliquot dies in quaestionem revocatus ita a praeside interpellatus est: si abneges Dominum coeli, eris bonus subjectus regni, cunctaque tua bona tibi reddentur et alia addentur. Etsi totam provinciam; respondit Joannes: dares mihi, non negarem Dominum coeli. Tum centum amplius fustis ictibus contusus iterum in vincula conjectus est.

Deinde ad se reductum appellans judex: tune ait, certe amas mori. Cui Joannes: cum homo sim ut caeteri, naturaliter diligo vitam et mortem formido, sed pro justitia non recuso mori. Iratus ille horribiliter eum torqueri jussit dicens: verumne est quod moriaris ne tuam religionem deseras, percutite usque ad mortem. Corpus quidem Joannis cruenter dilacerabatur, sed anima divino amore succensa gaudio exultabat.

In totum viginti unam quaestiones subiit, in tantumque excarnificatus est ut pelle et carne ablata intestina exterius apparerent, ossaque confracta per frusta deciderent. Praeter torturas in quaestionibus afflictas, innumeritas perpessus est a satellitibus et malefactoribus quibuslibet.

Tandem lata sententia anno 1839 luna 7a die 29a aetatis vero suae anno 29 capite deciso martyrium consummavit. Quando dies affulsit quo ad triumphalem aream descensurus erat, in signum laetitiae fecit sibi et suis tortoribus parvum convivium, et dum ipse gloriosus in locum ultimi supplicii ducebatur, satellites et reliqua plebs qui maledictis ac torturis eum insecuri erant, lacrymis prosequebantur ultimum valedicturi.

De aliis adhuc permultae extant narrationes, sed nondum habeo satis probatas; cum melius cum tempore Deo concedente notas habuero scribam Patri. Post aliquot dies prefecturus sum ad quamdam novam christianitatem abhinc 700 li distantem, quae seminata ab uno exule christiano nuper efformata misit hominem qui invitaret missionarium; postquam eam visitavero, si quae notatu digna erunt, referam in sequenti occasione.

Quoad autem aliud mandatum Patris, nempe ut petam quibus indiguero, respondeo etiam nunc quod prius: ita scilicet multis indigeo ut nesciam quid potius petere debeam, et quidquid vestra benefactrix charitas mittere dignata fuerit, mihi gratissimum et utilissimum erit, sed super alia omnia indigeo et indigemus divina misericordia, pro qua me et meos misellos Coreanos vestris ac vestrorum charorum orationibus iterum commendo.

Paternitatis vestrae infirmissimus servus Thomas Tshoy

## Letter 13

J.M.J.

Place where written: Bulmugol<sup>10</sup>

Date when written: September 14, 1857

Recipient: Father Legrégeois

Reverendissime Pater

Quotannis de divinae misericordiae largitate laeta nuntia Patri scribenda veniunt: anno praeterito de adventu ilustrissimi Berneux et duorum novorum Missionariorum Patri nuntiaveram; hoc autem anno de mirabili et plane miraculosa R.P. Feron, de quo Pater jam bis in suis litteris praenuntiaverat mihi, introductione, et R.P. Daveluy in nostrae missionis Coadjutorem elevatione laetabundus nuntiare propero.

Quales gratias misericordiarum Patri referre debemus pro tam singulari benedictione super nos misellos! Invito Patrem et omnes in Christo reverendos Patres ac charos fratres ad quos mea vox pervenire possit, ad gratulandum nobis et pro nobis Deo gratias agendas.

Per dictum Patrem Feron recepi binas vestras litteras, quos diu impatienti ac desolato animo expectaveram, plura etiam de vobis de ore ad os ab eo audivi, apud quem bis per plures dies diversatus jam a Patre praenuntiata amicitia et a me praegustata necessitudine collibantes in Domino laetati sumus. Quomodo autem et quam periculose, quantaque cum jactura per cymbam paganam singulari divina dirigente manu ad nos pervenerit, ipse melius Patri narrabit.

Anno praeterito promiseram Patri alias relationes de nostris martyribus conquireendas et Patri referendas. Satis multas collegi, sed eas misi ad Ilustrissimum Daveluy qui generalem historiam de omnibus martyribus conscribit: eam certo Patri legendam transmissurus cum sit Episcopus noster, supervacaneum puto ex parte mea separatim Patri referre.

Praecedentem epistolam scripseram profecturus ad unam novam Christianitatem longinquam, et praenuntiaveram me reducem ex ea si quae memoriae digna fuerint, relaturum sequentibus litteris.

Illa christianitas ut dixeram, fuit seminata ab una muliere exule et quadam familia christiana, quae in ultima persecutione generali anni 1839 ex civitate regia persecutionis vitanda gratia sese in illam civitatem contulerat et cuidam familiae diviti in famulatum obtulerat.

Paulatim haera per suam farnulam agnovit veritatem religionis christiana, et ferventer eam practicens agnita fuit christiana a suo viro; ille furens nimis verberibus suam uxorem conatus avertere a sancta professione cum nihil proficeret, traxit illam quadam die per medium civitatem, minitans ei mortem per civitatis praefectum inferendam, nisi abjuraret religionem christianam.

Fidelis Christi famula nihilo territa parata mori pro Deo ducebatur invicta ad tribunal; sed tandem victus ferox vir constantia suae uxoris de media via eam reduxit, nihilque aliud inde evenit quam ut late diffunderetur fama in hac civitate esse homines christianos.

Ea fama audita illa familia mulieris exulatae, quae in alia vicina civitate vivebat, et a plurimis annis segregata a societate christianorum in magna ignorantia submersa gemebat de suo miserabili statu et quaeritabat videre aliquos christianos, a quibus melius edocerentur de

---

<sup>10</sup> Bulmugol (Poulmoucol in Latin): Probably now Hongrim-ri, Pangyo-myeon, Seocheongun, Chungcheongnam-do.

necessariis veritatibus, quibuscumque unitis animis melius observarent leges christianas, nacta tandem invenisse quod quaerebat, emigravit in eamdem civitatem, et unita societate cum illa muliere sese mutuo cohortatae dueae familiae firmiores factae sunt in fide ac ferventiores in praxi religiosa, sicque mutuo conatu plures personas sibi sociaverunt.

Inter quas una mulier uxor praecipui civitatis fortis Christi athleta existit; quae multis modis exagitata a suo viro invictam firmitatem minis, verberibus ac omnis generis persecutionibus sui viri opposuit.

Incredibile est quanta cum aviditate, ac ferventis compunctique animi signis, quando perveni, mea verba ac sacramenta suscepint illae misellae animae, quarum continua suspiria erant: quandonam meis oculis videbo sacerdotem Dei et de ore ipsius verba divina meis auribus percipiam! Quod quando concessum fuit, in pace moriar.

Sed heu miserandam sortem commiserandae hujus chnistianitatis! Quaedam vetula postquam cum allis christianis in oratorium admissa verbi divini ac sacramentorum particeps facta fuit, supra modum contenta adiit quamdam suam amicam, quam antea evangelizans nondum potuerat perducere ad amplexum fidei christiana, et narrat illi quaecumque ipsa nuper in oratorio viderat, persuasa eam omnino ad suam sententiam se reducturam, ostendendo ei omnia mirabilia quibus ipsa particeps facta indicibili gaudio superabundabat.

At vesana illa mulier omnia retulit suo viro, qui convocatis omnibus viris illarum mulierum, quae secreto Deum colebant insciis aut invitatis suis viris ac parentibus, patefecit omne secretum, et cum illis civitatem commovit ad expellendam familiam illius mulieris exulis quae ex vicina civitate in eam emigraverat et quae sola tota christiana apud se oratorium praeparare valuerat.

Vix ego egressus eram de illa civitate et junior dominus illius familiae me comitatus nondum apud suos regressus fuerat, cum turba civitatis confluens in oratorium misellam illam familiam omni substantia expoliatam e domo et e civitate expulit. In posterum nescio quomodo poterunt missionarium excipere: illa farnilia e civitate expulsa nulla est domus, in qua oratorium parari possit: omnes enim mulieres secreto colunt Deum insciis viris ac parentibus, unde nec extra civitatem exire valent, misericors Deus propitius fiat illis misellis et prospiciat illarum bonam voluntatem.

In alia christianitate, ad quam ex proxima christianitate post trium dierum iter perveni, erant quinque familiae miserrimae nuper ex alio loco propter impedimenta observandae religionis christianaem emigratae. Pagulus situs est super montibus horribilibus Mansani dictis verius Alpes dicendis.

In vicinitate erat alter pagulus christianus distans ex eo loco 110 ly; ibi etiam nuperrimb emigratae aliquae familiae pauperculae neandum casas construxerant, proindeque oratorium parare non valentes omnes debebant venire in Mansani pro sacramentis suscipiendis.

Porro ex illo pago prope viginti personae per binas turmas veniebant. Una enim parte prius profecta altera remanens sua tuguria custodire debebat. Secunda turma componebatur duobus viris, una sexdecim annorum muliercula, tredecim annorum et undecim annorum puellis, atque novem annorum puero.

Ista imbellis turma una die debebat perficere 110 ly iter. Itaque summo mane profecta plus dimidia via jam confecta cum ad quamdam villam pervenisset, viginti amplius viri ex ea egressi cum fustibus ac baculis illam mulierculam ac puellas rapere conabantur, atque ita his pertrahentibus, et illis resistentibus quidam aetate venerabilis ex pago prodiens increpata effrenatorum illorum virorum impudentia nostras misellas captivas liberas dimisit, atque illi christiani fatigatione, fame ac terroribus confecti, sed de sua libertate triumphantes sub vesperis ad oratorium tandem pervenerunt.

In eorum adventu quanta putas Pater laetitia ego cum toto pago exultavimus, quantaque commiseratione in eos commoti quam properanti animo ad Deo gratias debitas agendas conversi fuimus!

In altero vico, in quo aliqui christiani in medio paganorum latitant, cum ad vesperas pervenissem, pagani vici suspicati sunt praesentiam missionarii et sequenti toto die observantes in domum, in qua eram absconditus, irruere voluerunt ad me capiendum; sed quidam catechumenus qui habebatur a paganis tanquam intimus eorum socius, omnibus mediis eos a tali tentamine avertit exponens illis rei maximam periculositatem pro ipsis, quod si in domum alienam irruentes casu inopportuno missionarium non valuis sent capere, pro temeritate illa ultimis suppliciis a magistratu afficiendi essent.

Sicque cohibiti non ausi sunt aggredi domum, sed tantum extra omnes aditus custodiebant me egredientem de domo capere volentes: itaque illos misellos fideles qui jam fere a duobus annis sacramentis orbati impatienter me expectaverant, desideratis sacramentis privatos in sua desolatione relinquens summo mane per posteriorem domus aperturam tenebris faventibus evasi de manibus illorum paganorum.

O quam dolorosum est propter horumce malevolorum perturbationes misellos famelicos impositos relinquere, atque in sua desolatione immersos nulloque medio pro nunc saltem liberandos videre! Haec tristitia relinquamus atque ad laetiora transeamus. Quidam juvenis per famam audiens in pago Kanouel dicto, qui plurium dierum itinere distat ex civitate ipsius, esse homines observantes aliam quam caeteri religionem, eam cognoscendi desiderio actus venit ad catechistam illius pagi postulans se bonam doctrinam edoceri.

At ille ignorans ejus sinceritatem noluit indicare veritatem, et causans suam ignorantiam vacuum eum remisit. At juvenis denuo adiens catechistam omni modo conatus fuit suam sinceritatem probare, nihilominus tamen felicior fuit, et iterum repulsus tertio rediit, demum catechista devictus ejus importunitate et convictus de ipsius sinceritate explicavit illi religionis christiana elementa, deditque fundamentalium veritatum librum, nec non precandi formulas ac catechismum. Tandem desiderata veritate agnita transcripsit sua manu necessarios libros, atque hoc inestimabili thesauro obtento rediens in suam patriam totam suam familiam suosque intimos amicos ac cognatos ejusdem veritatis participes fecit. Et statim cum omnibus relicta patria propter multa impedimenta praxis christiana prope Kanouel emigravit, secumque sex viros optime instructos ad baptismum suscipiendum in ultima mea administratione in oratorium adduxit, promisitque sequenti anno omnes suos instructos ad baptismum paratos fore atque in suo pago oratorium habendum esse.

Ita etiam quidam pagus quinque familiarum totus conversus fuit per famam et rumorem evangelizatus.

Venit etiam una familia narranda Patri: fuit nempe quaedam familia abscissa a daemone per plures generationes; sive viri sive mulieres, sive parvuli et infantes hujus familiae oppressi a quibusdam geniis qui apparebant ut ipsorum pater aut avus, et die noctuque frequentissime super humeris aut dorsis gravissimo pondere opprimebant; sicque miselli illi maximo dolore et angore laborabant ut ad nihil apti essent, et non sinebantur longiori tempore in eodem loco habitare, illi genii cogebant ut alio migrarent, nihilque secum asportarent de utensilibus domesticis, et si contra prohibitionem aliquid secum sumerent, in via per obsessionem cogebantur id dimittere, itaque miserabilis et pauperrima sine ullo remedio de sua infelici conditione gemitbat illa familia.

Quidam neophytus agnoscens horum commiserandum statum, persuasus si fidem christianam amplectentur, per Christi gratiam liberandos esse a diaboli infestatione evangelizavit eos et perduxit in pagum christianorum.

Ibi longe melius se habere coepit illa familia et cum magno fervore preces catechismumque discebat, nihil mali patiebatur, cum autem parum pigri segnus doctrinam christianam discebat, tepidiusque suas preces fundebat, redibat pristinus morbus: atque ita a genuis excitari videbatur ad majorem fervorem. Postquam autem tota familia baptizata fuit omnino liberata optime valere et vigorose terram colere dicitur.

Caeterum si de hujusmodi singulis singulatim referre voluero, nimis longus ero. In toto cursu annuali confessiones audivi 2,867, adultos baptizavi 171, adultis caeremonias baptismales supplevi 17, in sodalitatem propagandae fidei adscripsi 181, totus numerus christianorum in meo districtu 4,075, catechumeni 108 numerantur.

Illi apostatae, qui anno praeterito cum suis satellitibus ad me capiendum in vicum in quo sacra mysteria peragebam, aggressi a neophytis repulsi erant, alia multa quaesierunt media ad turbandum christianos, minabanturque nomen christianum e Corea se exterminatuos, sed cum nihil proficerent, adierunt quosdam magnates ut ab ipsis auctorisationem obtinerent christianos exterminandi cum multis accusationibus contra nostram sanctam religionem; sed ab ipsis iterum ignominiose repulsi videntur saltem viribus si non animo fractos jacere. Neophyti qui ea occasione capti et incarcerati erant, in libertatem fuerunt dimissi. Quidam autem pagus propter illorum perturbationem integre conversus totus factus est christianus. R.P. Feron multa secum afferebat pia objecta, ex quibus me divitem fore Pater annuntiabat; sed infeliciter ea amisit in cymba pagana: unde ipse et ego pauperes facti sumus, et non possumus sedare nostrorum christianorum ea postulantium clamores, quos defero Patri ut dignetur exaudire.

Si Pater velit, mittat mihi sacras imagines bene et pro horum populorum oculis omnino honeste et in papyro quantum fieri potest teneri impressas et sine colore pictas et satis magnas ac fere omnes B.V. Mariae, paucas vero SS. Josephi, Petri et Pauli, Joannis, Jacobi, Francisci, Annae, Agathae, Magdalene, Barbarae, Luciae, Caeciliae, Anastasiae, pro centum francis; et parvas cruces atque numismata, non vero rosaria, ea enim bene conficiunt Coreani, et unum excitatorium solide confectum, pondereque leve ut facile in viis portari, possit, pro aliis centum francis, totaliter pro ducentis francis, et significet Illustrissimo Berneux, et ego statim ei reddam hanc summam.

Hic finem ponens me meosque misellos Coreanos vestrae piae orationi iterum commendo.

Patemitatis vestrae infirmissimus sed obsequentissimus filius Thomas Tshoy Velit etiam mittere aliquam quantitatem caerae Hispanicae, qua indigo pro reliquiariis obfirmandis.

## Letter 14

J.M.J.

Place where written: Bulmugol

Date when written: September 15, 1857

Recipient: Father Libois

Reverendissime Pater

Quando scribo ad Patrem Legregeois, nihil pene invenio Patri narrandum, eadem quippe redeunt dicenda quae illi Patri. Habeat igitur me excusatum, et quas ad ipsum mitto litteras sibi proprias faciat.

Vestras 1856 mense augusto scriptas recepi; si aliquando Pater eas mittere dedignetur, nescio quomodo meam desolationem leniturus sim. Sumus omnes satis bene valentes; solum noster Episcopus Illustrissimus Berneux valde infirma est valetudine: multum timeo ne graviori captus morbo a nobis abripiendus sit; multum laborat pro nobis, nimis sollicitus est de suo munere pastorali.

O si talem Pastorem amitteremus, quanto bono privati quam infelices essemus! Maxima renovatione per ipsum excitantur nostrorum fidelium animi, teneraque fiducia eum diligunt omnes. Persuasum habeo ego si diu nobis eum conservaverit Deus, innumera nobis obventura esse.

Illustrissimus Daveluy totus incumbit historiae ecclesiae Coreanae maxime de nostris Martyribus componendae; R.P. Pourtier est superior collegii; R.P. Feron adhuc in lingua discenda totus est, unde RR. PP. Maistre, Petitnicolas et ego soli cum Illustrissimo Berneux administrationem Christi fidelium facimus.

Videbor excedere meum officium impertinentiaque Patri scribere, imo detractoria ac temeraria dicere imputabor: sed amicitia, confidentiaque, quam habeo in Patre, impellente cogor ex sincero corde loqui, persuasus id valde expediens Patri et etiam aliquando pro aliquibus utile fore.

Sub Illustrissimo Ferreol praedecessore Illustrissimi Berneux fuerunt multa dictoria inter Christianos contra ipsum Praesulem maxime propter ipsius ministros qui in multis valde reprehensibiles, de sua nobilitate nimis inflati omnibus odibiles, unice diligebantur ab Illustrissimo Ferreol, ipsique soli confidentialies consiliariique erant, et tamen videbam valde nocivos esse et ipsi Praelato et caeteris omnibus, unde pluries litteris et ad os rogaveram Episcopum ut eos dimittere dignaretur; sed nihil potui obtinere nisi magnam ipsius indignationem et illorum inimicitiam in me. Illustrissimo Ferreol mortuo iterum supplicantibus christianis ut dimitterentur, aliquamdiu retenti a R.P. Maistre, publico scandalo patrato tandem remissi quotidie majori scandalo sunt fidelibus, jamque non censemur christiani.

Praeterea praedictus Episcopus parti, quae dicitur in Corea nobilis, cuius arrogantiam, superbiam, tyrannidem, immoralitatemque tanquam omnium malorum fontem universarumque miseriarum causam ipsi gentiles, ipsique sanioris mentis nobiles fatentur atque detestantur, nimis favebat; nobiles jam nimis elevatos altius elevare, plebeios jam nimis miseros ac oppressos plus opprimere videbantur; sic quotidie major discordia inter christianos, muitorumque indignatio ac desperatio fiebat; atque christianorum fervor in dies decrescebat, malaque majori passu progredi videbantur.

Haec autem scribo Patri, quia puto quod Pater prius perfecte notam habens naturam mentis populi Coreani non inutiliter insinuabit omnibus missionariis qui in Coream mittendi erunt, qui non praemoniti facile a suis ministris caeterisque falsis praejudiciis irretiti multum

sibi et aliis nocere poterunt. Non quidem nimis fido meo sensu, fateorque quemque in suo sensu abundare sinendum esse in multis; sunt enim qui judicant constructionem populi Coreani esse bonam, partique nobili omnia jura quae sibi usurpant adjudicanda esse, plebeiosque omnino cogendos ut omnes exactiones nobilium ad amussim exsolvant, sicque superbos semper superbire favendos, miseros semper humiliari cogendos.

Sed isto modo nunquam erit charitas fratema, naturalisque dignitas humana de medio tolletur, cum sola nobilitas extollitur, qua deficiente homo velut abjectissimum quid opprimitur. Praeterea spiritus Christi degeneratur, qui verbis et factis pauperibus semper et abjectis patrocinatur, superbis autem et potentibus severiore se exhibit. Natura quidem semper procivis est ad adulandum divitibus ac potentibus, refugitque pauperes humiles. Insuper Coreani non sunt ita compositi ut omnino irrationabiles velut brahmenes ac castae indiani sint; faciliter acquiescunt rationi, beneque comprehendunt rectitudinem rationis ac justitiae; si unanimiter eis eadem doctrina praedicetur, faciliter consentient, ut ego expertus sum. Ipsi pagani nobiles sanioris mentis fatentur nobilium praetentiones iniquas omnino esse, eisque durantibus nunquam Coream feicem fore.

Haec autem pertinax divisio faciffime tolletur, atque sine ullo conatu ac coactione per se ipsam evanescet, si quique dligiores non attenta progenie ad dignitates assumerentur. Quod ad me pertinet, usque nunc corpore quidem semper satis bene valeo, sed quoad animam quotidie infirmiori valetudine langueo, pristinaeque juventutis vigorem penitus aniittere videor, et nunquam oblivisci valeo illorum dierum, quos apud Patrem cum R.P. bone memoriae De la Brunier, degendi fas mihi fuit. O si daretur mihi quotannis saltem per aliquot hebdomas julius modi consuetudine frui, quam melius mihi foret! Me iterum atque iterum commiitto Patris optimib me measque omnes necessitates cognoscentis orationi, hicque finiens me condico Patri ad pedes Crucifixi D.N.J. Christi, latentisque sub speciebus eucharisticis ante piissimum thronum, dulcissima ejus cum Matre Maria.

Patemitatis Vestrae  
infirmissimus servus Thomas Tshoy

Quotannis miseram breves quidem supra modum litteras nostris alumnis Coreanis in Pinang; nescio unde veniat ut nullas ipsi receperint; numquid Superior Collegii eas subtraxit et non reddidit illis? Mihi valde grave est eos tanto dolore affectos fuisse nibil solatii a me per plures annos recipientes: ipsi mihi ultimis suis epistolis de hoc multum conqueruntur. Oblitus sum Patri unam postulatiunculam facere: scio Patrem non habere multa rosaria pro nostris Coreanis, unde non peto quod non potest dare: sed si saltem habeat voluntatem dandi, velit mittere tenacem aut forficem, non bene scio quomodo vocetur instrumentum ad concatenanda rosaria bene et solide fabricatam, unam tantum aut plures si procurare possit, et maximum fecerit nobis Coreanis rosariorum donum pro B.V. Maria; et si aliquam quantitatem filorum cupreorum, valde utilis erit, nostri enim Coreani non nisi ex cupro rubro fila conficere norunt.

## Letter 15

J. M. J.

Place where written: Soriut<sup>11</sup>

Date when written: October 20, 1857

Recipient: Bishop Verolles<sup>12</sup>

Illustrissime Praesul,

In praecedenti mea epistola nuntiaveram Amplitudini vestrae de anxia et impatienti expectatione Illustrissimi nostri Episcopi Berneux ; nunc iam ab anno et amplius cùm eo in pace suscepto cum duobus novis Missionariis fruamur, licet certe de eo jam certiore illam factam esse non dubitem, ex mea parte de tam singulari Dei beneficio tacere nequeo ; pro hac gratia non omittam etiam Celsitudini vestrae debitas grates reddere, quae pro nobis tantum sacrificium libenti animo sustinuit ut tam charum suum confratrem, tam veneratumque suum Coadjutorem nobis Pastorem cedere non detractaverit. Multas insuper ei gratias debeo pro sms litteris, quas 12 Decembris 1856 mihi scribere dignata fuit.

Ad cumulum laetitiae hoc ipso anno modo prorsus miràndo praeter nostram spem pervenit novus confrater R. P. Feron per cymbam paganam; et R. P. Daveluy in Episcopum Aconensem Coadjutorem electus est. Quantas gratias Deo Optimo persolvere debemus pro tot miserationibus super nos Misellos ! Rogo Amplitudinem Vestram ut pro nobis Eidem gratias dignas agat.

De caeteris nihil narratu dignum invenio : sumus satis omnes bene valentes, totaque missio ea qua potest pro nunc pace fruitur. Perturbatores qui anno elapso ad me capiendum armati pagum in quo divina mysteria peragebam, invaserant, partim nostrorum neophytorum fustibus contusi, partim a magistratu puniti, partim per seipsos terrore perculti viribus saltem si non animo confracti jacent, Christique fideles numero quinque ea occasione capti et incarcerati post aliquot mensium vincula dimissi sunt. Desertores quidem facti sunt aliqui falsi fratres per illorum turbationem, sed Deo ita sapienter disponente per eamdem quidam vicus integre conversus totus christianus factus est.

De die in diem tota Corea ipsi etiam gentiles fere omnes expectant naves gallicas. Nescio unde veniat ista universalis sensatio per Gallos Coream ad meliorem statum convertendam esse ; nobis autem nimis taediosum est illos expectare, ut jam prope ad desperationem ducti sumus. Verum est quidem quod satis perspicuum sit necessitatem quamdam inesse ut ipsi adveniant cito : nisi enim consummatio saeculi adstet, incredibile est sub summe Provido Deo ita res diu stare posse, tanta quippe tyrannides, tantaque oppressio est nobilium ac mandarinorum in pauperes, atque ita completa generalis deordinatio, ut omnino

---

<sup>11</sup> Soriut's position is unknown; it might have been a Christian village in Jeolla-do, Songol in Yongin, Bulmugol (Chungcheong-do), or near Odujae (Jeolla-do), etc.

<sup>12</sup> Bishop Emmanuel-Jean-François Verrolles (1805-1878) was a missionary of the Paris Foreign Missions Society. In 1828, he received ordination and joined the Paris Foreign Missions Society in 1830. After working as a priest in China from 1831, he was appointed as the first Vicar Apostolic of the Liaodong Vicariate (renamed the Manchurian Vicariate in 1840) in 1838, and was active until his death in 1878. After Choe Yang-eop left Macau in 1842, he tried to enter Korea while staying mainly at Bajiazi in Manchuria, and he attended the consecration of Bishop Ferréol by Bishop Verrolles in December 1843. After being ordained a priest in April 1849, he spent several months at Chagou Church in Liaodong, as an assistant to Father Berneux.

proximus adesse videatur finis, et ex ipsa natione nullum prorsus remedium posse esse appareat.  
Fiat autem semper voluntas Dei, adveniatque cito regnum ipsius, in quo sanctum Ejus nomen  
sanctificatur.

Hic finem ponens me meosque misellos coreanos vestrae piae orationi commendo

Amplitudini vestrae infirmissimus servus Thomas Tshoy

## Letter 16

J.M.J.

Place where written: Odujae<sup>13</sup>

Date when written: October 3, 1858

Recipient: Father Legrégeois

Reverendissime Pater

Dubus praecedentibus annis, optimus Deus laeta mihi concesserat nuntianda Patri, sed hoc anno vice versa triste admodum dedit, idem semper optimus ac sapientissimus Deus, cuius providentiae in omnibus semper nos totus submittere debemus, scribendum Patri.

Ita quippe consuevit Deus suos servos aliquando suaviter recreare afflictos, et aliquando tristitia sapienter humiliare probando.

Luctum nempe ex morte ilimi Ep. Ferreol et R. Patris Jangsou captum nimis cito forte deposueramus advenientibus Ilusttrissimo Bemeux et aliis novis missionariis, et ab anno praeterito iterum lugemus R. Patris Maistre discessum, qui tantis laboribus, tam longa patientia tandem Deo concedente tam mirabiliter in Coream introductus fuerat, quemque pae aliis longius victurum sperabamus, vix quadriennio expleto anno elapso nos praestites reliquit.

Quantus putas Pater, debuit esse dolor meus et omnium christianorum, qui optime noveramus omnes labores ac taedia quae propter nos tam longanimer ipse sustinuit, quique eum pro sua patientia ac mansuetudine charissimum habebamus? Praeter ipsius mortis moerorem, maximo timore tenemur de infirmitatibus aliorum Missionariorum praesertim Ilimi nostri Episcopi Berneux, qui nimia sollicitudine ac labore quotidie moritur; et si eum amiserimus, quis nos consolari potent? Faxit optimus Deus ut suae infinitae misericordiae memor et propitiis innumerarum nostrarum iniquitatum quam diutissime conservet nobis optimum ac vigilantissimum nostrum Episcopum. Si peccatorum nostrorum recordetur, mittat nobis quascumque calamitates; tantummodo ne auferat a nobis nostrum Pastorem.

Praeterea magna fames nostros pauperculos grassat, unus modius oryzae antea 20 aut 25 sapecis emebatur, at nunc 80 aut 90 et in aliis quibusdam locis 120 et amplius venditur. Insuper propter insolitas constellationes tota Corea maxima formidine terretur, generaliterque censem per naves europeanas brevi Coream subvertendam; sed plerique impatienter praestolantur illas advenire, dicentes Coream non posse amplius in suo statu remanere, necessariumque esse ut naves cito advenientes eam omnino transforment in meliorem statum. Jam ab annis praeteritis plures existunt pythones qui praedicunt tempora ac numerum adventurarum navium. Nescio undenam ista generalis sensatio ac secreta animi commotio. Sunt etiam non pauci qui persuasum habent et dictitant totam Coream fore christianam. Numquid haec quaedam divina inspiratio est, aut divinitus immissa praesentio?

Caeterum gubernium usque nunc, satis favorable videtur erga nostram sanctam religionem, diciturque ministrum, penes quem suprema auctoritas est, ex familia Kim, quae generaliter nunquam nimis hostilem se exhibuit contra christianos, optime noscere praesentiam missionariorum, omnino tamen dissimulare. Itaque non quidem existit generalis persecutio saeviens, nihilotamen major facta est libertas practicandi aut amplectendi religionem christianam; existente enim lege prohibitiva, quisque pro suo libitu vexat ac perturbat

<sup>13</sup> Odujae (Otoutsai in Latin): This is presumed to be either a village below Odojae pass in Daehong-ri, Soyang-myeon, Wanju-gun, Jeollabuk-do, or a village below Odojae pass in Subong-ri, Modong-myeon, Sangju-si, Gyeongsangbuk-do.

christianos; imo plerique magis impediuntur ne divinae vocationi obsequentes ruptis omnibus saeculi vinculis, statim se dedant Christo: isti enim intellecta veritate religionis christiana, divina gratia impellente bene ex parte una sentiunt necessitatem illam amplectendi, sed ex altera parte maxima difficultate ac periculis, quae primum ate ipsos objiciuntur, deterrentibus, malunt expectare usque dum libertas fiat, quae a pluribus brevi futura praedicitur, atque in ea sine tantis damnis bene suam salutem se operaturos existimant. Sunt tamen qui talibus periculis posthabitatis, omnemque difficultatem superantes strenuos se exhibent vocationi divinae: en ex talibus unius exemplum.

Hujus nomen est Petrus Kim oriundus ex familiia nobilissima, de qua quidam missus olim a rege cum copiis Coreanis in Sinas ut auxilium ferret imperatori contra quosdam rebelles, propter bellum fortiter gestum et quodam praeclara facta, ab imperatore Sinarum princeps seu dux Leaotonensis declaratus fuerat, et ejus posteri de generatione in generationem magnis praefecturis ac splendoribus dignitatibus fulserant, adhuc junior in urbe regia opulentus vivebat. Habebat autem tres fratres: natu maximus in dignitate positus vivit separatim in una domo; Petrus vero secundus, cum duobus minoribus fratribus ac matre sua habitabat in altera domo.

Hic usque ad vigesimum quartum circiter annum vixit in omnibus vitiis, quae vigere solent in sui similibus fortunae filiis, imo multo superior erat suis coetaneis in hac parte: multas provincias curiositatis ac luxus causa cursitavit, plurimas mulierculas concubinas habuit nominatim quatuor; primum sectam foenam professus, caeteras omnesque in Corea existunt sectas tentavit, nullis autem contentus, nullamque in illis se convincentem veritatem inveniens incepit quaerere doctrinam christianam, quae ipsi visa fuerat si non omnino vera, saltem magni ponderis ex eo quod multi propter illam libenter mortem appeterent; sed non habebat medium inveniendi christianos qui ipsum doctrinam christianam docerent.

Tandem auclivit per rumorem, quemdam suum amicum, qui in provincia satis remota ab ipso vivebat, deseruisse suam patriam et se in profundam quamdam vallem, hominibus pene inaccessibilem, abscondisse, et suspicatus est eum christianum factum fuisse.

Itaque quae situm eum profectus, post plures dies pervenit in pagulum, in quo aliqui christiani cum illo amico Petri, habitabant. Primus vici, ejusque incolarum aspectus horridus, ex una parte omnino removebat Petri animum, sed ex altera parte per se exhibens quodammodo id quod suspicabatur, maxime solabatur famelicam hospitis animam.

Ibi inventum suum amicum revera factum christianum, primo non credentem de sua sinceritate et reluctantem aperire veritatem, omnino coegit ostendere quod quaerebat; unde ab ipso et aliis christianis pagi, ipso die de veritate religionis christiana convictus, statim determinavit eam amplecti, eaque determinatione coram omnibus proclamata, sequenti die postquam orationem dominicam, salutationem angelicam, decalogum, actus fidei, spei et charitatis memoriter didiscisset, valedixit pago et resumpto suo itinere regrediens in suum domum in via invenit plures suos amicos et alias mulieres suas amasias, quorum pristino ne uteretur consortio, maxima violentia luctatus toto itinere, superior se ipso, pervenit apud suos a quibus adhuc majorem victoriam reportaturus.

Habebat matrem, fratres, concubinas (uxor autem defuncta fuerat) servos et ancillas, opulentam domum et tabellas majorum, denique plurimos amicos ac cognatos atque possessiones agrorum: cum his omnibus pugnandum erat, et uno ex istis non superato hoste, pericitabatur sua Victoria. Atque primum agressus est per suam matrem: exposuit ei sua voluntatis determinationem, simul explicans primas veritates religionis christiana ac exhortans ut secum hanc profiteri vellet. At illa nihil voluit audire, sed furore, lacrymis ac minis eum avertere conata est a tali proposito; nihil autem se proficere videns, dictabat se denuntiaturam eum apud suum majorem filium et imperaturam ut ipsum occideret.

Sed noster Petrus nihilo territus respondit se libenter mortem subitum a matre et fratre, in casu autem quo nec se ipsa occideret, nec vellet secum christiana fieri, in aeternum se

ipsi ac toti farniliae valedictum, atque in longinquam regionem profugum factum ad christianam religionem colendam. Tandem devicta mater composuit pacem cum filio et promisit se omnino quieturam omnibus quae ipsi bona viderentur. Itaque Petrus destruxit tabellas majorum et relictis omnibus de nocte surgens assumptis secum matrem et fratres minores et fugit de domo ac urbe et venit in pagum in quo evangelizatus fuerat: sicque repente pro Christo ex divite pauperculus, ex superbo nobili, miserabilis monticola factus est.

Si non taedeat Patrem, adhuc unam historiolam. Quidam praefectus secum habebat pro concubina unam ex mulieribus publicis cuiusdam civitatis (in quaenam enim civitate quaedam societas existit a longa consuetudine instituta, in qua adolescentulae educantur usque ad certam aetatem ad servitium praefectorum, nullumque legitimum connubium habentes sed singulorum praefectorum ac praetorianorum libidini satisfaciendo paratae, antequam ab aliquo praefecto aut quolibet viro, soluta societati illi certa pecunia, in proprias concubinas assumantur). Ista secreto habuit communicationem cum uno famulo cubiculari ipsius praefecti (est autem alia species communitatis, in qua eliguntur adolescentuli ad ministrandum praefectis, isti ordinarie sunt filii praetorianorum et assumuntur pro isto munere antequam ducant uxores, atque non fiunt pretoriani nisi ex ipsis;) ubi hoc cognovit praefectus illam remisit ad suam civitatem, sed illa amore illius juvenis clam rediit ad ipsum, et sic viventes amplexi sunt religionem christianam. Inde expulsi a domo paterna profugerunt in unum vicum montanum ancillamque liberam dimiserunt, sibi in filiam adoptantes, et qui olim non nisi luxum et delicias sectabantur, nunc miserrime vicitantes, suis manibus excolunt montes horribiles, adeoque patientes ac pui sunt, ut omnes christianos mirifice aedificant.

Quaedam mulier, quae a multis annis voluerat fieri christiana, sed viro feroce omnino prohibente, et deficientibus christianis a quibus saltem secreto diseret doctrinam christianam, non poterat amplecti religionem christianam, unde plures fugerat a domo viri et apud quemdam suum cognatum christianum ad discendum catechismum et preces, cum maximis laboribus post plures annos tandem baptizata est.

Ubi hoc cognovit ejus maritus, furiosus factus, cogere voluit illam ad superstitiones; quod cum praestare nollet fidelis famula Christi; dire percussam eam occidere parabat: tum clam fugiens mulier a domo viri apud christianos mendicitans vivit, Christoque contenta, libenter viro, liberis ac familia orbata manet.

In praecedenti mea epistola locutus fueram de quodam juvne, qui per rumorem audiens, adierat quemdam catechistam ad discendam doctrinam christianam, a quo post repetitos repulsus tandem edocitus, plures familias converterat, et emigrantes illae omnes familiae promiserant anno sequenti se ad baptismum parandos et oratorium apud se habendum.

Porro isto anno fui apud ipsos in novo oratorio: sed quale fuit spectaculum! Statim ut in eorum casam me ingressum salutavissent, antequam quidquam ipsis dixisset (nescio quodam spiritu commoti) fletibus ac clamoribus totam vallem implevere, lacrymisque non suas facies tantum sed vestes totas irrigare coeperunt: ego ex mea parte coepi etiam totis viribus clamare ad cohibendos eos a tali strepitu; sed super omnia satis admirari non potui cum quanto fervore ac aviditate preces ac catechismum didicissent: pueruli 8, 9 et 10 annorum perfecto callebant totum catechismum, qui satis longus est cum multis precationis formulis; in pluribus autem maxime vetulis mulieribus plus demiratus sum ipsarum ardorem quam stupiditatem: ita enim erant parvi ingenii ac labilis memoriae, ut toto die discentes nec unam vocem retinere valuerint.

In ipsorum vicinitate, quidam pagus 12 familiarum totus per illorum relationes conversus est. In hoc vico quaedam familia satis numerosa postquam audierat de religione christiana propter timorem gentilium non audebat se determinare ut fieret christiana; unus 13 annorum puer ex hac farnilia, indignatus suorum parentum ac fratrum majorum ignaviam,

arripuit omnia vasa ac instrumenta superstitionum et confregit dicens: quomodo vos propter ista impia non vultis colere Deum nostrum Dominum et salvare animas nostras! Quo facto tota familia determinata fuit ad amplectendum religionem christianam.

Sic isto anno satis multos habui catechumenos, plus nempe 400, sed paucos ex eis baptizavi: exigente enim Episcopo ut non baptizentur nisi postquam totum catechismum perfecte didicerint, pauci sunt inventi parati, sunt namque plures ita hebetes ut non nisi per plurimos annos totum discere valeant, suntque etiam qui per totam vitam nunquam id praestare queant. Inchoando meam epistolam oblitus sum Patri gratias agere pro suis et communibus litteris quas 1858, 26 Jul. mihi mittere dignatus est, et ex quibus plura legere potui quam quae audiebam a confratribus.

Anno praeterito multa petieram a Patre ex licentia Ilustrissimi Episcopi, si ea nondum miserit, dignetur citius procurare et prima occasione mittere.

Ista vice habeo adhuc unum postulandum, nempe unam pixidem musicalem solide confectam atque musica europaea cum diversis tonis bene sonantem, constantem fere 30 francis cum pluribus clavibus; pretium autem solvam Episcopo; sed piae omnibus peto et supplico ut pro me ac meis optimas preces effundat, optimosque missionarios quam plurimos mittat; insuper rogo Patrem (licet aliunde ab Episcopo nostro monitum Patrem putem) ut singulis missionariis qui pro Corea destinabuntur, det unum exemplar synodi Suchouensis ut attente legant praesertim caput X et appendicem ab artic. XIV usque ad finem aliquos enim peroptassem ea prius bene legisse. Oblitus sum etiam aliquid dicere de R.P. Feron, de quo plura habeo dicenda; sed supervacaneum puto longiore dicere, sufficiat Patri quod simus valde amici, et bene valeat, multumque diligatur a christianis.

Paternitatis vestrae obsequentissimus filius Thomas Tshoy miss. Coreae.

## Letter 17

Place where written: Odujae  
Date when written: October 4, 1858  
Recipient: Father Libois

Reverendissime Pater

Anno praeterito miseram Patri litteras, necnon eas quas scribebam R.P. Legregois et alumnis nostris in Pinang, nescio si eas Pater receperit; de Patre autem nihil audivi nisi aliquid a nostro naufrago ex insula Keirpair; qui ex Changhai a mandarinis sinensibus ad Pekinum missus et inde in Coream usque pacifice perductus, venit cum litteris et indicationibus necessariis ad quaerendum christianos a Paulino traditis cum maxima quidem difficultate, sed Deo concedente feliciter pervenit in pagum christianorum, et sic usque ad christianitatem, in qua R.P. Feron et ego conveneramus.

Quando eum vidimus et de se narrantem audivimus, supra modum admirati sumus infinitam Dei bonitatem, qua tam mirabiliter providit ipsius saluti et forte plurimis in illa insula. Ex ejus dictis et fidelitate qua se gessit in inquirendis christianis omne dubium deposuimus quin vera fide confirmatus esset bonusque christianus futurus, imo magnam spem nobis ingessit in sua insula, in qua usque nunc nullus semen Christianum injecerat, bonus apostolus foret.

Ipse valedicens nobis promiserat se in suam patriam reducem primum suam familiam edoceturum nostram sanctam religionem et mox ad me redditurum.

Sed nescio unde factum sit quod usque nunc nihil audiatur de illo. Multum timeo ne in trajectu ad insulam perierit aut apud suos volens suos convertere ipse captus aut occisus fuerit.

Illa insula Keirpair Coreane Tseitsou olim independens erat, sed postea capta a Corea satis magna est atque fertilis: dividitur in tres districtus praecipuarum praefecturarum; incolae numero fere ut ego computo quadraginta millia hominum; valde feroce dicuntur.

Ad istam insulam accedere nemim permittitur nisi publicis viris a gubernio missis aut mercatoribus licentiam a magistratibus habentibus, insulanis etiam non licet egredi ad continentem mulieribus nunquam, viris autem nonnisi auctorisatis a politia; unde si existant aliqui Christiani, saltem pro nunc nescio quomodo missionariis aditus patebit; sed Deus qui convertet illos insulanos, etiam vias pandet ad illos.

De caeteris nihil habeo scribendum Patri nisi ea quae refero Patri Legregois, unde si dignetur, legat litteras quas ad ipsum mitto; et nunquam mei obliviscatur rogo, qui Patris memoriam nunquam amitto.

Paternitatis Vestrae obsequentissimus filius Thomas Tshoy

## Letter 18

J.M.J.

Place where written: Angok<sup>14</sup>

Date when written: October 11, 1859

Recipient: Father Legrégois

Reverendissime et charissime mi Pater

Vestras litteras 22 Jul. 1858 scriptas recepi, pro quibus multas gratias ago Patri. Puto autem quod meas anno elapso missas receperit Pater.

Sperabamus vere transacto et novos Missionarios, novaque de Patribus nuntia; sed nescio quo casu nostra cymba quam Illustrissimus noster Episcopus miserat in occursum Patrum, per plures dies expectans in loco condicto non potuit invenire cymbam Kiangnanensem, per quam novi confratres venturi sperabantur.

Unde magno angore et timore capti summis precibus optavimus ne in latrones aut vortices maris incidissent Patres, et speravimus quod per aliquam navim quae in oram nostram appellenda esset venturi essent; at usque nunc expectatio nostra vana appetit et quotidie augetur noster timor quem formidabamus.

Sed super hanc tristitiam maxima consolatione repleor certior factus a Patre nostros martyres jam a Vicario Christi nostro communi Patre recognitos et coram facie Ecclesiae nostrae Matris proclamatos esse.

O quam laetum et gloriosum nobis erit videre aliquando eos canonizatos, publicoque cultu in tota Ecclesia coli ut sanctos! Faxit Deus optimus ut etiam in istis barbaris regionibus sua gloria magnificetur, munificentissimarum suarum manuum virtutes per intercessionem suorum servorum ostendendo, ut sicut olim ab ipsis per illorum fidelitatem honoratus est, sic per eorumdem publicum cultum ab omnibus glorificetur.

Usque nunc nullum miraculum saltem publicum per intercessionem nostrum martyrum patratum est; forte quia nescivimus invocare eos, neque id inculcare studuimus nostris fidelibus; narrantur quaedam de pristinis martyribus miraculosa, sed nunc de eis propter defectum testium difficile est claram et certam notitiam habere.

In posterum juxta vestrum mandatum magis studebo meis christianis fervorem invocandi martyres insinuando per eorum intercessionem aliqua miracula Deo dante obtinere.

Hoc anno per Dei misericordiam omnes exules christiani exceptis duobus fuerunt relaxati cum aliis exilibus occasione nativitatis filii regis, qui primus natus magnam laetitiam regno et exilibus libertatem adduxit, sed praeterea nihil amplius fecit et faciet; mortuus est enim paulo post.

Utinam sibi ipsi gaudium et libertatem aeternam obtinere potuisset!

Persecutio etiam a quadam pessima muliere excitata omnino cessavit; in qua unus pagus christianorum denuntiatus per illam mulierem fere totus captivus factus paulo post in pristinam libertatem restitutus est.

In toto meo cursu apostolico fui fere semper propter quosdam malos, qui quasi fratres sese inter christianos sociaverant, postea lupi rapaces infensi eorum hostes evadunt, perturbationibus, persecutionibusque insectatus.

---

<sup>14</sup> Angok (Ancock in Latin): This is generally assumed to be either today's Angok-ri, Mueulmyeon, Gumi-si, Gyeongsangbuk-do, or Geumcheon-ri, Modong-myeon, Sangju-si. From the following letter of October 12, 1859, it can be seen that it was a Christian village within the pastoral jurisdiction of Father Féron.

Una praesertim vice fui in maximo periculo: visitaturus nempe quamdam christianitatem profectus ab alia, quae ab illa duorum dierum itinere distabat, propter maximas nives fui multum retardatus et post duorum dierum viam non valens attingere locum destinatum diverti ad unam civitatem volens ibi pernoctare et sequenti die ad illam christianitatem pergere; sed diversorianus cum quibusdam perturbatoribus me denuntiaverunt ad praesidem civitatis tanquam virum suspectum. Inde tota civitate commota tumultuarie omnes meos homines injuriis ac verberibus onustos ad tribunal traxerunt me solo cum sacris sarcinis in diversorio relicto.

Praetor qui erat ex familia Kim quae generatim nunquam se exhibet hostilem erga christianos, noluit nos diligentius examinare et jussit ipsa nocte statim expelli nos ex civitate et abire a suis confinibus, et dimisit meos captivos; inde satellites cum tota ferme civitatis plebe reducentes meos homines in diversorium irruunt cum lanternis ac facibus accensis et vociferatione, tumultuque domum replentes, vestibus scissos, pileis calceisque spoliatos et plagis repletos nos expulerunt ex illa civitate.

Pulsi igitur ex illo refugio ad quod a frigoribus, nocturnaeque tempestatis injurya confugeramus, verberibus contusi, habitibus ex parte nudati, rigenti frigore gelati, alta nive immersi, crassissimisque tenebris obducti incedebamus injuriis quidem et doloribus defatigati, sed libertate gaudentes; at turma satellitum passus nostros insecuta iterum ruit super nos, et in sacras sarcinas manus immittere attendant.

Sed Deo non permittente ac Beata Virgine protegente, cum minatus fuisse illis me ad praetorem civitatis redditum et coram ipso meas sarcinas apertum, aliter non permissurum eos tangere meas sarcinas, non ausi sunt ulterius nos insectare et tandem liberos reliquerunt.

In aliis vero locis quidam, quia ipsis propter defectum dispositionis necessariae sacramenta nolebam concedere, in furorem versi me capere tentaverunt, et iterum Dei gratia sospes evasi ab ipsorum manibus.

Sed dum narro ista, putabit Pater me semper persecutionibus ac tribulationibus afflictum, omnesque nostros Coreanos pessimos, perfidos, latrones, crudeles, perturbatoresque esse; at super his aerumnis major est consolatio mea ex alia parte; quinimo in ipsis laboribus et tribulationibus maximum inest solatium: haec enim est vita nostra apostolica, et haec est corona sortis nostrae.

Veniam igitur nunc participare Patri alias meas consolationes, diversasque species benedictionis divinae misericordiae.

Licet multi perfidi, inimicique nostri sint, plures tamen boni amici, fidelesque erga divinam gratiam, socii commilitonesque contra illos hostes diaboli milites pro Christo nobiscum efficiuntur, quin imo ipsos adversarios Deo optimo dante adducunt in nostram partem.

Quidam pagus duodecim familiarum totus conversus est a duobus annis praeter tres familias; istae non solum non conversae sed et hostes factae, conversos ab incepta christiana professione avertere conatae sunt, et contra illos varias persecutiones movere tentarunt.

Ipsi vero neophyti nihil aliud suis hostibus objecerunt quam patientiam, mansuetudinem et amicalem exhortationem ut et illi etiam tam sanctam religionem completerentur, et tandem eos vicerunt neophyti et sibi associaverunt in idem ovile Christi, novumque oratorium aedificaverunt, et fere omnes preces, catechismumque edocti sese praesentaverunt mihi. quando prima vice me contuli apud ipsos; sicque in hoc unico oratorio 32 adulti et 10 infantes baptizati 17que catechumeni numerati sunt.

Quidam autem recenter conversus jam paratus ad baptismum propter infirmitatem, qua a longo tempore laborans nec extra suum conclave prodire valebat, cum non posset venire in oratorium, quod ex sua domo duorum dierum itinere distabat, ad sacrum lavacrum suscipiendum, convocatis suis sociis qui cum ipso conversi erant, fusis coram Deo precibus, rejecto gestatorio tamquam homini peccatori nimis commodo et fastuoso, jussit se portari super

tsikei quod est quaedam machina ad portanda onera super dorsum, atque sic primi diei fecit iter; sequenti autem die abjecit etiam tsikei et suis pedibus reliquum iter perficere aggressus qui in sua domo nec cubando requiem inveniebat, per montes horribiles super duorum pedum altitudinis nives sine difficultate quasi saltans pervenit in oratorium, in quo per decem amplius dies me expectans nullum sensit dolorem nec ullam incommoditatem et post baptismum ferventi admodum animo susceptum superna jubilatione repletus, se duplisper animo et corpore sanatum gloriabatur.

Alter quidam ejusdem cognatus postquam evangelizatus fuisse a quodam neophyto rediens ad suos volensque suam domum purgare ab omnibus objectis superstitionis sumpsit primum vas quoddam diabolo dicatum, et projectit totis viribus ad terram; sed sine ulla laesione integrum volutabat super humum; tunc signo crucis se muniens resumpsit vas et sine difficultate in minuta confregit.

Ita cum omnes superstitiones anathematizasset novus Christi miles, repente ipsius equus qui alias mansuetissimus erat, ferocissimus evasit, hominesque morditabant; bonus neophytus iratus nimis contra diabolum, a quo animal obsessum credebat, equum trucidavit. Postea autem cessavit omnis portentosa daemonis operatio, et neophytus cum firmiori fide ac ferventiori zelo se praeparavit ad baptismum.

Quidam autem in una civitate a paucis annis conversus cum magna constantia persistit in fide non obstantibus quotidianis persecutionibus suae matris ac uxoris.

Quadam autem die piae aliis vicibus maximis clamoribus ac maledictis sua matre ipsum insequeente, bonus neophytus fugit ad agros et jejonus tota die laborabat; tandem mulier misericordia mota comparavit cibum et afferebat suo filio fame ac labore confecto, sed dum veniret in via graviter lapsa omnino prostrata est, vasaque in quibus cibum portabat, projectit in terram; sed neque vasa neque cibus quidquam passa sunt.

Quo facto in se reversa mulier dicebat: certe ego male egi, filius meus multo justior est me, contra quem frustra persecutiones commovi: propterea ex divina punitione ego sic prolapsa tam graviter vulnerata sum, dum cibus quo debet refici filius meus per istum casum nihil passus est; et inde promisit se etiam christianam factam fore.

In Canouel dicta christianitate sat multi habitant christiani, sed omnes pauperculi oratorium habebant miserabile; quod quidam paganus visitans indignatus est quod domus cultui divino dicata tam miserabilis esset, et suo motu voluit melius aedificare oratorium; quod anno praeterito tandem ipsius pagani sumptibus constructum, magnificisque ab eodem candelabris ditatum in toto meo districtu fortasse in tota Corea magnificentissimum fulget.

Hoc anno Ilustrissimus Coadjutor unam partem mei districtus, qui nimis amplius, longissimisque itineribus dissitus, ferocibusque ac perfidis hominibus ferax est, visitavit ut me sublevaret, unde dempta illa parte, in mea annuali administratione confessiones annuales 2,124, repetitae 844, baptismi adulorum 201, catechumeni 361 fuerunt.

Pro sacra Infantia fere nihil possumus agere in Corea. sunt enim rarissimi qui suos proles exponant; aliqui pauperrirni, qui suscepta prole viduantur et non habent medium nutriendi infantulos orbatos suis matribus, libenter darent alienis suos filios nutriendos, sed difficulter cedunt pro perpetuitate, quoad infantes autem moribundos baptisandos etiam est maxima difficultas; juxta namque morem Coreanum viri nunquam admittuntur intra domos, sed in parte separata, quo mulieres et infantes fere nunquam egrediuntur; et mulieres nisi sint omnino infimae classis, nunquam vadunt apud alienos; unde difficillimus est accessus ad infantes in articulo mortis constitutos; tantum per speciales occasiones talibus occurri potest.

Usque adhuc omnia nostra negotia non nisi per transennam atque per occasiones cum formidinibus contra fas et nefas, occulte et furtim fieri possunt; nihil modo firmo et permanenti ac regulari potest agi.

Unus pagus hodie bene a christianis inhabitatus eras inopinate exturbari potest; in

nullo loco nos conferentes aut aliquod objectum deponentes promittere nobis valemus unius mensis securitatem; unde nostri christiani semper vicitant modo peregrino, omnia non solum religionis objecta sed etiam pecuniam aliasque res quas possunt habere, cum maxima cura occultant ne a paganis, a nobilibus et satellitibus spolientur; etiam pagani plurimi aliunde divites pauperrimo modo vivunt, miserrime manducant et vestiuntur ne si divites appareant a nobilibus excutiantur.

O quam dolorosum et commiserandum saepe videre christianos passim et paganos a praedonibus nobilibus et satellitibus indigne tractatos! Sed quando incipio loqui de miseriis nostrorum misellorum finem non habebo, unde hic terminum ponens rogo Patrem et omnes meos reverendos et charissimos Patres ut nostri non immemores enixius divinam clementiam implorare non desistant.

Res quas petieram a duobus annis, et quas Pater in ultimis suis litteris nuntiavit mihi esse jam comparatas, nondum recepi; quod autem petii anno elapso, etiamsi parum pluris constiterit, satis bonum procuret, rogo.

Paternitatis vestrae humillimus obseq. filius Thomas Tshoy

## Letter 19

J.M.J.

Place where written: Angok<sup>15</sup>

Date when written: October 12, 1859

Recipient: Father Libois

Charissirne mi Pater

Vestras litteras 28 Maii incoepetas et 29 Augusti 1858 finitas recepi per cursores missas in Pienmen, ex quibus comperiens vestram sanitatem multum debilitatam, maxima anxietate et sollicitudine sum occupatus timens ne etiam Pater meus charissimus me superstitem facturus sit sicut omnes chariores facere consueverunt; ita etiam timeo multum pro nostro Episcopo Illustrissimo Berneux, qui semper in infirma est valetudine. Si essemus parum liberiores, multo facilius ipsius et aliorum Patrum sanitati consulere possemus, sed ita adhuc sumus angustiati et impediti ut perpetuis quasi vinculis onusti simus. Quoad alias Missionarios pro nunc satis bene valent, licet aliqui per aestatem graviter infirmati fuerint. Ego autem semper fui optime valens, solum nimis sum invalidus pro itineribus conficiendis: vix una die 40 ly perficere possum; unde semper utor equo in meis cursibus, qui satis longi sunt; omnia enim remotiora loca ego visito; hinc itinera quae quotannis circumeo sunt ordinarie plus 7,000 ly seu 700 leucarum. Licet meus districtus sit amplius et quinque provincias complectens centumque amplius stationibus constituta, nullus invenitur locus satis tutus, in quo per aestatem, quando propter pluvias, calores et agriculturam visitationes facere prohibiti per aliquot menses quiescere permittimur, me recipere possim; unde hac aestate confugi in districtum R.P. Feron, et posui meam residentiam aestivalem in Ancok dicto pago.

Sed probabiliter etiam ex isto pago brevi exturbanus sum. In vicinitate enim est quoddam fanum jam a plurimis annis desertum et ad ruinas proclivum, et quidam nobilis qui ex latrociniis ac concussionibus vicitat, ut unde plebeios excutere possit, reaedificare illud fanum proponit; unde si hoc consilium realizetur, christiani qui in vicinitate vivunt, cogentur ad pecunias et opera contribuenda; propterea hic pagus Ancok, qui est proximus illi fano et nobili praedoni non potent persistere ad aliaque remotiora loca transplantari cogetur.

Noster naufragus querparensis ascendens in urbem regiam susceptis annualibus sacramentis rediit, sed nihil potuit facere usque nunc pro conversione suae familie et insulanorum: sunt quidem aliqui persuasi de veritate christiana, sed dicunt pro ipsis nunc non esse possibile practicare legem christianam, et promittunt tantum se facturos christianos quando erit libertas nostrae sanctae religionis. Sunt nempe in illa insula sicut et in tota Corea sat multi bonaे animae sed infirmae: vellent quidem colere verum Deum et sic salvare suas animas, tamen propter timorem saevitiae legum Coreanarum non habent satis animi et audaciae ad profitendam fidem christianam.

O quot animae praesertim mulieres sub viris vel parentibus dominantibus sic impeditae quotidie gemunt et suis suspiriis tabescunt! O si principes christiani parum cognoscerent hujusmodi animarum positionem quam prompte succurrent! Ipsiа quam facillimum esset tot hominum salutem procurare; sufficeret ut ex parte Gallorum una vice dicere publice gubernio nostro se absolute exigere ut suis subditis det libertatem amplectendi religionem christianam; certe non auderet contradicere. Sed misereatur nostri misericordiarum Pater omnipotens et optimus Deus, a quo pendent omnium corda, et cujus est omnia fortiter et

<sup>15</sup> Angok: currently Oesan-myeon, Buyeo-gun, South Chungcheong Province.

suaviter dirigere ad salutem salvandorum. Ad hoc indesinenter sua vota et orationes dirigat Pater, cuius zelum et sinceram benevolentiam erga nos misellos Coreanos non ignoro, et mei optime Patri notae infirmitatis amici et filii memoriam nunquam amittat, rogo, qui ipsius quoties missam celebro, meminisci nunquam omitto.

Litteras quas mitto ad R.P. Legregeois Pater legat et ad ipsum transmittat. Paternitatis vestrae humill. obseq. filius Thomas Tshoy

## Letter 20

Place where written: Angok  
Date when written: October 13, 1859  
Recipient: Bishop Verrolles

Illustrissime Praesul

Litteras vestras 21 Xbr 1858 per cursores ex Pienmen reduces recepi, quae quantum mihi consolationis et laetitiae fuerint, calamo exprimere nequeo ; ex illis rediit bona memoria omnium reverendorum Patrum vestrorum cooperatorum missionariorum et simul omnium fidelium, quibuscum tot annis olim conversatus fueram, sed per illas moveor ad graatulandum de felici effectu armorum gallicorum in vestra missione imo in totis Sinis exuberante ; quin etiam erectus sum ad sperandum brevi etiam in nostra misella Corea tandem desideratam libertatem nos visuros, sed usque adhuc saltem pro isto anno nostra spes cassa videtur . nihil dicitur de armis Gallorum, qui ubique magna bona producere dicuntur; apud nos autem maxime post naufragium Cokountonicum, aut valde ignavi aut mendaces habentur, qui tunc brevi ad reliquos naufragii requirendos, gubernioque coreano, quod in illis extremis necessitatibus constitutis subsidia praestitit, vicem rependendam se reddituros dixerant, jam a pluribus annis nequidem unum verbum mittunt. Attarnen propter illorum timorem, quia non ignorant per nuntia Pekini eos quasi dominari in Sinis, non audent nostri ministri, ut videtur, publice nos christianos persecuti, missionariosque, quorum praesentiam saltem plerique norunt, capere. Aliqui praefecti juxta legem captivos faciunt christianos, sed ordinarie ministris non approbantibus remittunt liberos; at quia semper existit lex nostram sanctam religionem proscribens, cuique fas est omnibus indignitatibus ac incredulitatibus nos vexare, unde sumus quasi semper in persecutione. Propterea multi bene intellecta veritate christiana differunt suam conversionem ad futuram libertatem, quam brevi venturam esse existimant. Attamen non pauci non timentes suorum bonorum jacturam, omnia opprobria, omniumque generum miserias, obsequuntur divinae vocationi, fidelesque se exhibent legi evangelicae, sic in isto anno in solo meo districtu 500 catechumeni numerati sunt, inter quos plus 200 baptizati sunt.

Praeter eos sunt plurimi qui intellecta veritate christiana religionis vellent se dare Christo, sed non habentes satis animi et audaciae differunt suam conversionem ad libertatem quam impatienter expectant. Ut igitur haec felix dies cito lucescat super nos, Divinam Clementiam enixius implorare dignetur Amplitudo vestra, meique saepius coram dulcissimo nostro Domino Jesu Christo ac benignissima Ejusdem et nostra Matre beatissima Virgine recordetur, supplico.

Amplitudinis vestrae  
humill. ac obsequentissimus filius Thomas Tshoy

## Letter 21

J.M.J.

Place where written: Jungnim<sup>16</sup>

Date when written: September 3, 1860

Recipients: Fathers Libois and Legrégeois

Reverendissimi ac charissimi Patres

Primum peto a Patribus veniam quod communem scribam epistolam. Sum enim in tall dispositione ut hanc parvulam chartam pro duobus et omnibus meis charis Patribus mittere vix valeam.

Procella nempe persecutionis in hanc extremitatem Coreae impulsus nullam habeo communicationem cum christianis, jam a pluribus mensibus nullum nuntium audio ab Episcopis et aliis missionariis; ignoro an adhuc vivant; dubito etiam si haec epistola usque ad Sinas deferri possit. Initium hujus persecutionis nondum possum scire quomodo incooperit, et finis nondum apparent: non multi capiuntur christiani, mulieres fere nullae comprehensae; ubique satellites emissi missionariorum vestigia insequuntur.

In meo districtu saltem ut mihi relatum est 17 capti sunt 14 viri et 3 mulieres; caeteri autem fideles fere omnes praesertim in hac provincia exturbati de suis pagis, exspoliati que domibus, agris ac omnibus substantiis sine ullo subsidio ac refugio huc illuc miserrime vagantur.

In pagis ex quibus capti in carceres abducti sunt christiani, omnia satellitum rapinis ac igni tradita sunt; similia infortunia sortiti sunt plures pagani, qui cognatos aut amicos christianos apud se in refugium receperant. Unde omnibus singulorum locorum habitatoribus ne ipsi propter cohabitatores christianos aliquid mali patientur uno consilio exagitantibus, Christi fideles nullibi tuto persistere possunt.

Generaliter putantur christiani permulti, inde gubernium aestimat non posse omnes capere, includere in vinculis et judicare de singulis, itaque non cogitat saltem ut appareat, singulos comprehendere, sed aliquos passim satellites emittendo, per eos omnes christianos deturbat et omnes paganos armat contra christianos. Iste modus persequendi est multo crudelior et nobis perniciosior.

Inter 17 captivos 3 relaxati sunt, nescio quomodo, sed probabiliter per apostasiam; 2 autem in urbem regiam abducti sunt; 1 in civitate Taicou hujus provinciae capitali custodiebatur, sed his diebus rumor fert eum fuisse dimissum. 1 vetula ferventissima christiana quae in illa civitate sat numerosam christianitatem sua praedicatione fundaverat, ac sua doctrina, pietateque totam christianitatem sustentabat, in prima quaestione strenue Christum confessa adeo torta est ut ex eo vulnere martyrium consummaverit.

10 autem in civitate Kiengsou dicta custodiuntur; tres quaestiones subierunt et in omnibus fortes fuerunt in confessione Christi, et usque ad hanc diem omnibus carceris horroribus et inedia morbisque miserrime afflicti constantes permanent. Inter eos unus puer 16 annorum ipse se obtulit lictoribus ut se suo patri in confessione Christi sociaret, iste prae caeteris per omnia strenuis omnibus etiam paganis admirationi est. Quaedam autem virgo circiter 24 annorum doctrina, fervore ac caeteris christianis virtutibus omnibus venerabilis et chara valde martyrii desiderio ardens multum cupiebat abduci ad vincula; dum igitur suus pater

---

<sup>16</sup> Jungnim (Bamboo forest): It is presumed to be a Christian Village in Icheon-ri, Sangbukmyeon, Ulju-gun, Ulsan, or Jukjeon [Daebat], a cave covered by a bamboo forest in the middle of Ganwol Mountain.

et alii christiani comprehendenterentur, circumvolitans satellites nolebat discedere de loco, demum coacta a suo patre et aliis christianis se declinavit in domum vicinam et ibi expectavit lictores cum duabus puellis 17 annorum una et 18 annorum altera, quarum ipsa magistra et praeceptrix erat, et advenientibus satellitibus se ipsam obtulit ut cum suo patre ac fratre, abducerent in carceres, quia eamdem ac ipsi religionem coleret; quod imitatae et aliae virgines ipsae etiam sese obtulerunt.

Satellites igitur has tres virgines pollicibus alligatis abducebant; sed quoniam feminas comprehendendi mandatum non receperant, eas ducebant non ut magistratui praesentarent, sed ut ipsi abuterentur illis aut eas divenderent; quo consilio perspecto rogare coeperunt illae virgines lictores ut solverentur liberae, quod Deo illorum bestialium animos mulciente impetrarunt.

Dimissa igitur Agatha, sic enim vocabatur illa major Virgo, cum suis sociabus, patre ac fratre abductis ad vincula, sine ullo subsidio et refugio huc illuc per innumera instantia pericula vagans, tandem apud me in confugium recepta, morbo ex fatigatione contracto paulo post omnibus sacramentis pie receptis, in omnium astantium aedificatione, eo momento quo extremam syllabam commendationis animae pronuntiavimus, ultimum spiritum reddidit.

Ante istam persecutionem multo solatio replebamur et magna spe ergebamur videntes magnam emotionem fieri infideium ad cognoscendam et amplectendam religionem christianam: in solo meo districtu numerus baptizandorum et catechumenatui adscribendorum facile ad mille pervenisset; aliqui pagi integri cum aviditate ac aemulatione christianas preces et catechismos discebant; sed ista persecutione omnibus paganis contra religionem armatis et de suis habituales sectatores christianismi exturbantibus, paeclusa est omnino haec emotio, et plures nondum fide radicati desperatione acti saltem exterius desertores apparent; etiam qui usque nunc constantes videntur quotidie idem periculum subeunt. Praesertim junioris aetatis viduae ac puellae in majori periculo existunt. Jam quaedam vidua christiana a paganis raptata fuit; una juvenis mulier, cuius vir captus in carcerem injectus est, et una puella, raptae fuerant similiter; sed gratia Dei feliciter intactae liberatae sunt.

Plures virgines paganis locatae sunt jam omni spe destitutae.

Ita instans est periculum raptus et violationis pro hujus modi personis ut putaverim me posse permittere Agathae superius narratae, ut se in aliquam speluncam receperat, se totam divinae providentiae committendo, quamvis manifestum esset, extra miraculum, fame consumendam esse; quam permissionem illa antequam incideret in mortalem morbum enixe petebat, timens ne etiam ex isto refugio exturbata et a me separata sine alio salutis refugio vagari cogeretur.

Quaedam familia nomine Tso nobilitate, litteris ac fortuna valde considerabilis nuper cum sui generis pluribus propaginibus conversa; omnibus venditis e suo natali loco apud christianos emigraverat a decem circiter diebus et a satellitibus omnibus suis bonis exspoliata; domo incensa 16 personae fere nudae egressae refugium petierunt in quamdam domum vacuam a suis habitatoribus christianis propter metum satellitum desertam, et ab aliquo amico eleemosyna obtenta victui magis necessaria pro aliquo tempore comparaverant; sed iterum ex illa domo exturbatae et exspoliatae in alium locum refugerunt, et ab amicis mendicantes miserrime vicitant, quae ohm opulenter vivebant.

Attamen non multum dolent illi boni neophyti de ista fortuna ac honoris infortunio; unicus eorum dolor est quod propter persecutionem non potuerint baptizari; 14 personae in illa unica familia omnino paratae quotidie expectant receptionem missionarii in sua domo.

Gubernium Coreanum cum tota plebe semper suspicatur christianos et missionarios aliquid mali contra regnum machinari; et sic ratiocinantur: si ipsorum religio est bona, ut exterius apparet, et nihil mali sub boni specie contineat, cur isti secreto illam practicant; et praesertim quare illius praedicatores furtim subintrant in alienam nationem et secreto disseminant suam doctrinam, maxime cum ipsorum nationes dicuntur valde potentes, nihilque

a nobis timendum habeant, et cum ipsorum principes, utpote ejusdem religionis cultores, pro suis viribus ejusdem propagationi, quae juxta suam doctrinam omnibus est omnino necessaria ad salutem; proindeque ex suo genio suis cultoribus ipsius dilatationem inculcare debet, incumbere debeant; quare igitur non legaliter agunt, quare non publice veniunt et modo amicali et legali agunt cum gubernio? Quare sic furtim subintrantes omnia sic secreto cum istis miserabilibus agunt? Certe non possumus intelligere istorum agendi rationem: necessario debet esse aliquid malae intentionis etc. etc Ita ratiocinantes incipiunt Coreani magnum despectum et odium concipere erga christianos et naves europeanas ventitantes sine causa quas sciunt omnes esse christianas; olim multum timebant illas et aliquid magni de illis exputabant; sed jam a pluribus annis videntes eas ventitare sed nihil dicere, putant esse piratas dicentes inter Se: certe istae magnae naves debent esse piratarum aut quorumdam malefactorum vehicula; si enim pertineant ad aliquam nationem sub potestate legitima constituta, quomodo possent sic ventitare apud alienas nationes sine ulla causa, nihil dicendo auctoritati publicae: quis enim in alienam introit domum sine ulla causa, nihil domino domus nec bom nec mali dicendo? Necessario debent esse omnino barbari aut piratae latrocinandi occasionem quaerentes.

Haec et similia conferentes maxima ammositate christianos persequuntur omnes etiam privati et ruricolae; et minitant quod si intra duos annos nihil eveniat ex navibus, omnes christianos usque ad ultimum exterminandos esse.

Miserere nostri Domine miserere nostri; noli oblivisci miserationum tuarum, in quas omnium nostrum oculi et tota spes nostra; peccavimus quidem et iniquub egimus nimis; sed si iniquitates nostras attenderis, quis sustinebit; parce igitur nobis et recordatus misericordiae tuae antiquae propitius exaudi preces nostras et omnium sanctorum tuorum et libera nos ab ista pressura, tribulationes enim factae sunt super nos nimis, et hostes tui irruerunt super nos et perdere volunt tuam haereditatem quam redemisti tuo pretioso sanguine; nisi tu ex alto tuleris auxilium, non poterimus stare contra illos.

Hoc igitur auxilium, mi charissimi Patres, per vestras pias precationes ut nobis ab onnipotenti Deo ipsisusque sancta Matre ut impetratis, rogo.

Has lineolas quasi ultimum vale; non enim spero me posse effugere manus emissariorum quocumque insequentium, vobis dirigens nostram misellam missionem vestrae assidue sollicitudini, infatigabilique charitati iterum atque iterum commendo.

[In mea dimidiata hujus anni administratione confessiones auditae sunt 1622; baptismi adultorum 203; adulti in articulo mortis baptizati a fidelibus 13; catechumeni 398] Humillimus et obsequentissimus servus Thomas Tshoy, Praesb. miss. Coreae.